

DE TEMPORE
ET OCCASIONE
IN RE MEDICA
TRACTATVS,

MEDICINAE STVDIOSIS vtilis & neceſſarius. Necnon de Motu cordis opuſculum pulcherrimum.


FRANCISCO THOMASIO EX Colle Vallis Elſæ Tuſco Philoſopho & medico Auctore.

[redacted]



[redacted]





PERVSIAE MDLXXV.

Cæſar Sperellus Vicarius.

Nos Nicolaus Alexius Peruſinus ſacrę theologiæ profeſſor, & ſanctæ Inquiſitionis Comiſſarius, dominicanus, opuſculū hoc perlectum, nihil aduerſum fidei ſeu bonis caſtisq́. moribus continere cognouimus, ac proinde nihil eſſe duximus quin ad cō-munem [redacted] dum imprimi ualeat.

Die 2. Iulij 1575.

[redacted]

PRAESTANTISSIMO CONSILIO ANTIQVISSIMAE CIVITATIS REATE.

FRANCISCVS THOMASIVS ex colle vallis Elsæ, Med. Physic. ſtipendio publico inſignitus S. D.





OLEBANT antiqui omnes, qui ſtudium, curã, & ſolertiam alicui operi addicebant, quod ad mores hominum ſpectaret, uel ad rerum Naturę contemplationem, & bonitatem, illud aut Dijs primùm, aut Principibus in terris conſulto ſacrare, & hoc nõ immeritò faciebant, ſiquidem facti iudi-

cium eò reuerti debet, unde faciundi consilium prouentum habet. In qua cōsuetudine omni laude digna, & quiescunt ij, qui ea, quę Dei sunt, percipiunt, & animantur cęteri ad id, quod humanæ fœlicitati correspondere maximè cōspicitur. Quid enim intus homo nisi Deus, & quod extra nisi rationis, artisq. vsus, vt inquit Plato? Vitam viuunt cętera animantia, solus homo diuina ad humanam facultatem traducit, vt legitur de Socrate, qui Philosophiam super naturalem ad vsum moralem deducebat. Hoc autem præstantius homini contingit, quando quidquid habet, aut accipit religione dignum censet. Quod si omnibus dicendi, faciundiq. datur vsus, bonus verò rectusq. vtendi modus conceditur ijs solùm, qui timent Deum & omnia

coope-


cooperantur in bonum, ſecundum gradum ſui Magiſtratus. Sed quia vſus conſulendi, iudicandi, & medendi ſine tempore, & ſine occaſione eſſe nequit decreui libellum hũc vobis dicare. Inſuper alterum libellum adiunxi de motu Cordis, vt cognoſcatis medicum vos elegiſſe, qui fidis in medicationibus vnà cum dilectione ſemper patefaciet infirmis quam pollicetur medicina miſericordiam. Valete.

Datum die 4. Iunij 1575.

Errata Corrigenda

Pagina 7. lin. 4 multum lege multam
ibidem. lin. 19 pareat lege pareant
pagina 8. lin. 7 in consulto lege inconsulto
ibidem. lin. 17 motu lege rerum
pagina 10. lin. 8 alter lege aliter
pagina 14. lin. 20 in tempus. lege ni tempus
pagina 18. lin. 8. omnes lege omne
pagina 35. lin. 4 Deleantur hæc uerba, illam in re medica respicit actum & non potestatem, interest etiam medico.
pagina 36. lin. 10 expertos. lege expertes.
pagina 39. lin. 13 sagagissimi leg. sagacissimi
pagina 42. lin. 23 prædere lege prodere
pagina 54. lin. 19 quidan lege quidam

INDEX CAPITVM quæ in tractatu de tempore & occasione continentur.



Hebdo-

CONTENTORVM IN LIBELlo de motu cordis Index.

FINIS.

DE TEMPORE ET OCCASIONE IN RE MEDICA,

PER FRANCISCVM Thomasium ex Colle Vallis Elsæ Thuscum, Medicum, Physic.





VAM sit necessarium, quam utile, & quanti sit negocij in re medica nosse quid tempus, quid occasio, & quomodo iis uti oporteat peritos in arte, testatur Hippocrates dicens. Tempus in quo occasio est, occasio in qua tempus non multum. Medela tempore, & aliquando occasione contingit. A quibus uerbis forsitã elicitur illud commune dictũ. Nulla maior iactura in medicationibus, quã temporis, & occasionis amissio. Eorum enim facultas non tantum facit ad medicinę bonitatem, quantum ad sanitatis, & uitæ conser-

uationem. Quamobrem nihil est præstantius tempore. Quodque licet sit breue, mutabile, instabile, & inrecuperabile. Attamen inter ea, quæ possidemus, duæ possunt esse simul possessiones: sed de tempore duo simul momenta nequeunt haberi. Ideo omnibus viribus studendum est tempori, ne dum se se offert, illud perperam amittamus. Incipit tēpus cum motu seu mobili, quo penitus deficiente tempus finit. Ideo non erit in futuro, sed cessabit, quando nihil nisi æternitas erit. Insuper dicunt sapientes nihil esse communius tempore. Equaliter enim impartitur omnibus. Nihil labilius, quia nunquam quiescit: & quando incipit deficere, tunc incipit decrescere, & econuerso, quia præsens finis est preteriti, & mox principium est futuri. omne enim tempus tribus vicissitudinibus distinguitur, uidelicet in preteritū, presens, & futurum. Adhuc tempore nihil incertius, nihil imperceptibilius. Per se non dignoscitur, sed per humanos actus: similiter nihil alterabilius tempore, ideo corpori humano nihil periculosius: subita enim mutatio temporis corpora mutat, & affligit. Et tandem licet tempus sit ita mutabile, vt nullam habeat firmitudinem, tamen in sua mutabilitate, nihil est magis cōtinuum. Atque eius partes sunt contiguæ, quia in eisdem saluatur occasio. Et sunt contiguę, quia tempus, quod in hie-

mę ſeneſcit, in vere ſtatim reuiuiſcit, & ecõuerſo. Quare cum in humanarum rerum actionibus omnes homines maxime ſolliciti eſſe videãtur, vt tempus habeant, & occaſionem aliquid faciendi, & non faciendi: operæpretium ęſſe duxi, ne Medici fruſtrentur in ſuis medicationibus ob temporis, & occaſionis imperitiam, hanc ęnarrationem conſcribere. In qua non includentur ſolum ſententiæ bonorum medicorum; ſed philoſophorum etiam quęrentium veritatem. Veritas autẽ non ſtabit in hoc, vt quęramus tempus, & occaſionem tamquam, e, ſpecula; ſed ut inueſtigemus ipſum quodam modo prouęnire ſolere, a motu, ſęu mobili fluxu pro vt inferius declarabitur.

Principium Temporis motus. CAP. I.

AT quoniam in humanarũ rerum actionibus oçcaſio, tempus, & motus ita ſe ſe habẽt ad viciſsitudinem, vt vnum ſine altero eſſe non poſsit, neceſſariũ eſſe ducimus oportere prius pręcognoſcere vnde ſit tantæ viciſsitudinis ordo, & cauſa, vt facilius innoteſcant quæcumq. de occaſionis, & temporis inueſtigatione ſecundum medicos, & philoſophos recẽſentur. Principium autem facientes, a motu dicimus. Vniuerſi cæli, & partium eius effectus motus, & motus men-

ſura principium temporis, & occaſionis exiſtunt: ſed motus cauſa, & principium, a uoluntate Dei, qui primus & ſempiternus eſt. Atque opponitur cæleſtis motus humanarũ rerum motui, quæ videntur, & tanguntur, in quibus nulla eſt permanentia, & firmitudo. Attamen ita diſpoſuit Deus hunc mundum inferiorem, vt ſuperioribus lationibus per quandam continuitatem regeretur. Et hinc eſt, quod inferior motus generabilium, & corruptibilium ſumit ordinem, a motu ſuperiorum orbiũ eo modo, quo poteſt; poteſt autem per uniformitatem, ſi non valet per identitatem. Et vniformitas ſtat in hoc, quod ſi indiuidua perpetua facere nequit, facit autem ſpecies vt inquit philoſophus. Cæterum motus conditio eſt ab hoc termino ad oppoſitum terminum. Siquidem omne, quod permutatur, de cõtrario in contrarium facit mutationem. Verum ſunt ſex ſpecies motus, uidelicet generatio, corruptio, alteratio, auctio, diminutio, delatio. In quibus rerum naturalium actiones ſeruantur ſecundum eam perpetuitatem quam habere poteſt inferior motus a ſuperiori. Inſuper omnis motus aut circularis eſt, aut rectus, aut ex iis cõpoſitus. Circularis motus non mutat locum, vt patet in motu ſpherico. Rectus motus ſemper mutat locum quando eſt in actione. Mouetur ſiquidem aut a cẽtro ad circumferentiam, ut

ignis

ignis & aer, & omnia leuia, quæ mouentur ſurſum. Aut a circumferentia ad centrum, ueluti grauia, ut aqua, & terra: Et de hoc motu recto ſex ſpecies nominãtur, videlicet dexter motus, & ſiniſter. Ante, & retro: ſurſum, & deorſum. Cõpoſitus vero motus eſt ex duobus motibus contrarijs, ſicut motus ignis quando accenditur in ligno, & candelæ lumen. Motus ad hæc proprium habet per violentiã generare calorem: ut patet in motu cęleſti. Ex cuius vehemẽtia inflãmatur ęther. Eſt etiam proprium motus liquidum facere, vt patet in plumbo. Priuatur autem motus menſura, & eam quam habet, contingit ei ob ſpatium, in quo mobile mouetur. Verum omne mobile aut proprietate mouetur, vt adamas, qui mouet ferrum, aut violentia, vt nauis a ventorum impulſu, aut voluntate, vti mouetur corpus, quo vult animus. Mutatio etiam duplex eſt, aut de loco ad locum, aut de diſpoſitione ad diſpoſitionem. Mutatio de loco ad locum, aut naturaliter eſt, aut a violentia. Naturalis motus lapidis eſt moueri deorſum, & naturaliter etiam intenditur in fine. Violentus uero motus intenditur in principio: ſed quanto remotior fit, tanto debilior redditur, vt patet in ſagitta, & in lapide proiecto. Quæq. ſi longe proiiciantur ita ut feriant, prę diſtantia, aut nõ penetrant, aut nullibi ledunt. Ex quibus annotationi-

bus patere poteſt, quod motus ſuperior, & motus inferior ita ſe ſe inuicem conſequuntur; tāquam cauſa, & cauſatum. Et ſicut cauſatum non fieret, niſi a cauſa eſſet: ita motus inferior non eſſet, niſi a ſuperiori motu cęleſtium haberet modum & cauſam. Quare inquit philoſophus motus cæli, eſt quaſi uita motuum inferiorum. Ipſe etenim eſt principium generationis, mutationis, auctionis, diminutionis, & delationis. Inducit calorem, inflammat, & attenuat non tantum aquam, ſed aerem. Naturalē calorem animantium ſolatur. Appetitum eorūmdem ſuſcitat. Roborat vires. Medicamentis tribuit proprietates. Rebus mineralibus dat extenſionem, & motum. Dixtinctarum rerum partes vnit. Et vnitas diſſoluit. Et tandem quando motus temperatus eſt, & moderantiam ſeruat, animatorum omnium corpora uiuificat. Quando vero modum excedit eorum naturas minuit, atque diſſoluit. Hic igitur motus eſt, ſecundum quem tempus habuit principium & cauſam. In quo tempore eſt occaſio. Et ſecundum tempus, & occaſionem humanarū rerum actiones manifeſtantur, & peraguntur ut inferius patebit.

Diſſidentium

Diſſidentium medicorum ſuper temporis, & occaſionis notitia in re medica controuerſia, & difficultas. CAP. II.

PROFECTO quanto magis, magiſque cogito, nimirum philoſophis, atque medicis noſſe quid ſit tempus, & quid ſit occaſio multum ſemper attulit dubitationem. Etenim quęcumque inter naturalia minimæ ſunt exiſtentiæ, paruam ſemper de ſe ferunt cognitionē. Manifeſtatur hoc in accidētibus omnibus: quorum exiſtentia ad hoc vt cognoſcatur, eſt in ijs, quæ exiſtunt. De ſe enim accidentia nullibi ſunt, neque de ſe eſſe valent, ideo omnimodam, certāq. rationem habere non poſſunt: Et eam, quam habent ab aliorum exiſtentia depēdere conſpicimus. Immo ſine aliorum exiſtentia, omnino ab oculis euaneſcunt, & ſenſui penitus occultantur. Verum inter hæc, quæ minimæ ſunt exiſtentiæ, occaſio, & tempus reperiuntur, & connotantur: Et ob id non eſt mirum, an multas de ſe pareat in animo ſapientum controuerſias, & difficultates, quas tamquā nodum Herculeum conuolutas, & inextricabiles, qui inuenerūt, & eas, ueluti alter Alexander, enſe ſcindere voluerunt, & rationē deſpexerunt, nullo pacto conſecuti ſunt poſſe noſcere quid ſit tempus, quid ſit occaſio;

aut medice id perquirerent, aut philosophicę id meditarentur. Nam illi qui difficultates temporis, & occasionis en se scindunt, tamquam ignari rationum, neque per tempus, neque per occasionem quicquam boni operantur, & si quid commodi unquam euenit, hoc in consulto, & siue electione contingere solet. Atque ij sunt, qui agũt, quod nesciunt, & quicquid euenit penitus ignorant. Illi autem, qui sapientia ducti difficultates temporis, & occasionis certa ratione nosse nitũtur. Temporis existentiã cognoscẽtes, & occasionem in tempore distinguentes, facile sumũt ab ijsdem facultatem aliquid faciendi, & nõ faciendi. Quin etiam non timent a tempore, & ab occasione (quamquam tempus sit edax motu) sed audẽt inter humanas actiones ꝑuidere temporis oportunitatẽ, & occasionis articulũ, ne quando pręsens est tempus, & instat occasio, non amittant eorum articulum, & oportunitatem. Deficiente enim tempore, & fugata occasione, nulla est amplius conueniens, quæ hominibus pręstari posit oportunitas. Quare labi, errare, & nescire in tempore, & in occasione malum esse, & turpe dicimus non solum in medicina, sed etiam in philosophia. Etenim sapientes per notitiam hanc facile inuenerũt causarum mutationes, effectuum alteritates, auxiliorum commẽsurationes, experimentorum periculũ, & omnium

nium artium, & ſcientiarum vſum, qui manuducit ſcientes, & intelligentes ad peritiam agendi; & intelligendi, incipientes tamen ab ijs, quæ ſunt nota nobis ad ea quæ ſunt nota naturæ. Cęterum relictis magna ex parte ijs difficultatibus, quibus philoſophi ſępæ inter ſe digladiari ſolent, quæq. pertinent potius ad opinionem, quam ad iudiciū, in medium adducam differentes medicos, & eorum rationes proferam; quibus intellectis facile erit inuenire, & iudicare aut qui bene, aut qui male ſenſerint ſuper tempore, & occaſione in re medica.

Sed quia medicorum famoſæ ſectæ tres ſunt, quæ inter ſe aduerſantur, ideo de ijs diſtincte eſt ſermo faciendus. Vna eſt, quæ per experientiam ad remediorum uſum intendēs Empirica dicitur, & Empirici ſequentes nominantur. Altera eſt, quæ per communitates, & indicationes præcedēs Dogmatica, & ſequentes dogmatici nuncupantur. Tertia eſt, quæ rationes cum experimentis colligens rationalis vocatur, Et ſequentes rationales medici nominantur. Atque hæ tres ſectæ ſumunt differentiam a fine. Etenim finis empiricorum eſt experientia, quæ acquiritur per imitationem, per memoriam, per obſeruationem, per hiſtoriam, per tranſitum ad ſimilia, & per inuentionem, in quibus eccellere pulchrum eſſe putant atque collaudant. Finis vero

ro Dogmaticorum est indicatio communitatum, quæ acquiritur per notitiã causarum, virium, aeris, aquæ, regionis, studiorum vitæ, ciborum, & potuum, consuetudinum, & illum dicunt esse peritum, qui hęc omnia norit. Finis autẽ rationalium, eo quia optimus secundum veræ medicinę constitutionem dicitur, alter esse non potest, nisi usus expertæ rationis, rectus, dexter, & cum electione iudicij, modum tradens tuendæ sanitatis, & amissę recuperandę facultatem.

Sed altercantur inter se Dogmatici, & Empirici. Quoniam dogmatici accusant experimentum tamquam inconstans, imperfectũ, & artis expers. Empirici vero detestantur rationem tamquam probabilem, & non veram, indeterminatã, longã, & sine certo fine. Dogmatici latentia speculantur. Empirici versantur in ijs, quæ sunt euidentia. Quare dimicantes inter se super artis constitutione, hinc & inde ad partes pręferuntur tot sermones, vt longum esset eos recensere, si omnes omnium audirentur. Sed inter cæteras difficultates quas habent inter se contradicentes est hęc, videlicet an in re medica tempus, & occasio plurimũ conferant. Quapropter consonum erit vtrorumque opiniones recẽsere, ad hoc vt facilius eorum errores detegantur, quando alteri negant tempus esse, & occasionem necessariam in medicina, & alteri

male sentiunt de tempore, & de occasione in re medica.

Empirici igitur, qui primas medicinæ partes sibi assumunt omnem probabilitatem detestantur tanquam non veram. Nam quę per coniecturas, & probabiliter eueniunt, firmã, certamque cognitionem minime de se tradere possunt. Et si qua cognitio est, eiusdem dexter vsus in medicina vllo pacto esse nequit. Euidentia siquidem sunt, quæ medicos peritos; & eccellentes faciunt. At tempus, & occasio in re medica necessaria esse non queunt, aut quia non sunt, aut quia euidentia minime esse possunt. Non inquam sunt tempus, & occasio, eo quia nihil esse videntur, aut quia pro minimo deputari possũt. Quod non sint in medicina, Empirici supponunt, quia medicamentum curat, & non tempus. Et similiter quod minima sint, & nullius vtilitatis, aiunt. Quod minimum esse videtur parum cadit, a nihilo. At quum tempus, & occasio sit quoddam minimum, necesse est, vt pro nihilo in hac arte deputetur. Insuper vtilitas temporis, & occasionis in re medica, aut prouenit, a toto tempore, aut, a parte. Non a toto quia componeretur ex partibus, non etiam, a parte, quia aliquando eorumdẽ partes venirẽt ad compositionem totius. Igitur si neque vt totum, neque vt pars vtilia sunt, minime erũt vsui in medicina. Et quod

hoc sit verum manifestatur. Quid est tempus & occasio in re medica. Non præteritum, neque futurum, quia non sunt. Forsitan erunt pręsens? Et hoc esse non possunt, quia pręsens non capit totum tempus, & occasionem, neque potest complere omnem temporis, & occasionis existentiam. Itaque in re medica tempus nosse, & occasionem sumere neque vtile est, neque necessarium. Verum forsitan potest saluari tempus, & occasio per memoriam, per obseruationem, per incidens fortuitum, quod, a proposito, vel sine proposito cōtingere solet? Sed quid opus est tempore, & occasione. Si hæc euidentia sufficiunt? Medicina siquidē nihil aliud est, quam usus medicamentorum, & qui cadit a medicamētis non est amplius medicus. Propptereaque ab vsu medicinæ secernenda est aliena compræhensio; & contraria in compræhensibilitas semper fugienda est; difficultas vitanda. quæ discrepantiam parit. Atque hæc omnia faciunt incompręhensibile iudicium. Iudicium autem incomprehensibile est quod de tempore, & occasione sumitur, & ideo in iudicabile, quia de rebus occultis nunquam non ambiguam contemptionem parit. Nos uero empirici quæ circa euidentia sunt versamur, & profitemur. Proptereaq. unū quodq. quale sit, quum apparet verū esse testamur. At quum de tempore, & de occasione nulla

apparcat

appareat per euidētiam cognitio qualia ſint in medicina, aut quam vtilitatem afferant in medicationibus, haud quaquā ſcire valemus.

Methodici autem, qui artē medicam methodo pertractandam eſſe tradiderunt, quoniam per communitates præceptiones omnes iudicabant, multa in re medica opera immutare compulſi ſunt. Dicebant ſiquidem locum affectum ad curationis indicationem nihil conferre, negabant cauſam morbi, Etatem, anni conſtitutionem, regionem, virium egrotantis inſpectionem & habitum contēnebant. In ſuper tempora, regiones, & conſuetudines non admittebant, eo quia, a ſolis affectibus eius quod conferret indicationem ipſis ſatis eſſe dicerent, neque ab ijs ſpeciatim, ſed communiter, & in vniuerſum aſſumere, neque has ipſas indicationes procedere particulatim, ſed ſimpliciter teſtabantur. Quare in hæc verba prorumpentes dicebāt. Nos methodici per dogmata latentia perſcrutamur, & verſamur in ijs, quæ communiter euidentia ſunt, & conſentientia ſequimur. Deſpicimus vero quæ ad ſanitatem neceſſaria eſſe non putamus. Non eſt autem neceſſarium tempus, & occaſio in medicina ita vt expediens & vtilis ſit ad ſanitatem tuēdam, & ad auferēdam egritudinem, quia ab ijſdē nulla ſequitur euidens communis indicatio. Iam ſcimus tempus, & occaſionem manife-

 ſtiſsima

stissima esse in natura. Sed in intellectu tantū saluantur eo modo, quo seruatur accidens in suo subiecto. Et quemadmodum sublato subiecto accidens non remanet: ita remoto intellectu nullibi sunt tempus, & occasio. Proinde qnādo philosophi inquiunt tempus est numerus, seu mēsura, qua metimur motum, & numeramus rerum actiones, ostenderunt nullibi tempus seruari posse, præterquam in anima. In rebus autem, & in actionibus secundum quendam fluxum licet prius, & posterius sint, quæ videntur esse discrimina temporis. Attamen non sunt, eo quia motus, & mutationum sunt conditiones, & non temporis, & occasionis. Etenim quæcunque huiusmodi dicuntur esse, intellectu tantū percipiuntur, & non sensu: siquidem contingit medico non pręsente egroto metiri posse tempus & occasionem egritudinis. Et vnde hoc, in tempus & occasionem solo intellectu meditaretur? Quare cum tempus, & occasio nullam de se faciant cōmunitatem, & si qua est in anima reperitur, & nō in medicationibus. Ideo uanum esse putatur in re medica, quod pro egrotātium curatione, & morborum inuestigatione non est, id necessarium futurū existimare. Sufficit igitur nobis cōmunes habere indicationes, in quibus tota ars methodica continetur.

Rationales vero medici, qui neque empiricos

ricos laudant, neque methodicos laude dignos putant, medij inter vtrosque, secundū Hippocratis sententiam tempus & occasionē in re medica esse, & plurimum conferre arbitrantur, propterea calumniantes eorum opiniones, dicunt. Firma, certa, & stabilia sunt medicinæ principia, nec non vtilia eius præcepta, & semper consentanea veritati, quia vti legitima sunt ita iudicari debentur. At naturale principium est tempus, & cum tempore occasio, quia natura agit in tempore. Et in medicina vtile est: nam teste Hippocrate. Medela tempore, & aliquando occasione contingit. Quod præceptum multitudinem quandam comprehensionum, tum cogit, tum etiam aliquod cōducibile proponit, & imperat. Etenim comprehēdit multa, quia mos Hyppocratis est laconice loqui, & aphoristice plurima referre. Atque etiam commodum est tempus, quia conducibile ad tuendæ vitæ conseruationem. Sed quomodo sit vtile, & consentiens veritati manifestabitur. Inter omnia, quæ in arte medica pertractantur, aliqua sensui euidentia sunt, aliqua sensum latent. Similiter inter euidentia aliqua innotescunt per se, vt albus, & ater color. Aliqua claritatem habent ab alijs, vt sunt ea, quæ signis deprehenduntur. Rursum inter ea, quę sensui abdita sunt, aliqua intellectui sunt perspicua, vt bis duo faciunt quatuor. Ali-

qua per ostensionem cognoscuntur, vt si be ne vti licet hoc, etiam ab uti licebit, & quæ ab eodem sequuntur. Suppositis igitur his Galeni principijs, dicendum est, quod noticia temporis, & occasionis in re medica, neque omnino pēdet ab intellectu, neque prorsus prouenit, a sensu: sed partim sensui euidenti referenda est, & partim intellectui. Sensu enim diiudicatur per id, quod euidentiā parat. Et per intellectum est perspicua, quando temporis, & occasionis facit dimēsiones. Vanum quippe, & irrisorium esset, sententiā de sensu euidentibus non sensorijs, & de intellectis demonstrationem nolle proferre. Quare magnæ demētiæ, & imperitiæ esset in re medica, si tempus, & occasio contingunt, sensuque, & intellectu percipiuntur, velle negare vtilia, necessaria, & commoda esse non posse. Ideo non est credendum falsis, & fatuis opinionibus aut empiricorum, qui negāt tempus in medicina, aut methodicorum, qui male de eo sentiunt. Quorum omnium scriptæ sunt sententiæ ad hoc vt errores fugiantur. Et qui sunt periti in re medica facilæ a malis eligant bona. Quare diserte inquit philosophus: non solum agendæ sunt gratiæ ijs, qui bene dixerunt, sed etiam ijs, qui male, nobis enim aditum ad benedicendū aperuerunt. Igitur si tempus & occasio manifestissima sunt in natura. Qui negant hæc, mo

tum negant. Et qui tollunt motum patiuntur imbecillitatem intellectus. Quapropter tanquam manifestissima supponenda sunt motus, tempus & occasio. De motu iam dictum est, sed de tempore & occasione est dicēdum.

Primo autem dubitandum est an in re medica sit idem tempus, quod occasio? Secundo. Dubitandum an in vno tempore secundum vniuersum sit vna occasio tantum, vel plures? At primæ dubitationi respondet Hypocrates dicens. Tempus in quo occasio est: occasio in qua tempus non multum ex quibus verbis patere potest tempus ab occasione differre, quia esse in aliquo non dicit, idem. Similiter tempus dicit quoddam totum, & continuum, occasio vero notat articulum, momentum, & instans. Ad hæc secundæ dubitationi respondetur. Quod plures esse non possunt simul occasiones ita, vt prima remaneat adueniente secunda, quia tunc essent duæ simul. Atq. primū tempus maneret adueniente secundo, & sic idem esset præsens, præteritum, & futurum, quod est imposibile. Similiter si plures essent occasiones simul, vt puta duæ, tunc altera deficiente, hæc sequerentur. Nam vel deficeret in se, vel in alio. In se autem deficere non potest, quia tunc occasio esset, & non esset; Nec etiam in alio, quia non in præterito; prius enim deficeret, quam esset, nec in futuro non imme-

diato, quia occasio non est immediata occasioni. Nec mediato, quia inter duas occasiones datur medium tempus, in quo sunt infinitæ cũ quibus simul esset. Quare esset vna & eadem occasio in toto tempore. Oppositum autem videntur sentire aliqui philosophi, & nonnulli medici rationales dicentes. Omnes finitũ terminatur duobus terminis, sic & tempus duabus occasionibus. Adhuc si vna tantum esset occasio. Tunc, illa quæ facta sunt ab Hyppocrate, & à Galeno in anno millesimo non essent priora illis, quæ, à me fiunt, quia mensurarentur eadem occasione. Forsitan autem dicentes in tempore vnam esse occasionem intellexerunt illam vnam respectu rei mobilis, & sic tempus ad motum retulerunt. Mobile siquidem est idẽ subiecto in toto motu, distinctum vero ratione prioris, & posterioris temporis, & sic occasio est idem subiecto in toto tempore.

Solutis itaq. dubitationibus pro meliori notitiã temporis, & occasionis primum de ijs erit sermo secundum intentionem philosophorum.

Deinde quomodo, à medicis intelligatur explicabitur.

Igitur nonnulli philosophi putantes tẽpus, & motum cœli esse idem, quia alterum sine altero esse nõ potest, errauerũt in hoc, quod sicut simul dantur plures diuersorum orbiũ

reuolu-

reuolutiones; ita essent plura tempora simul, & nulla esset occasio; quod esset inconueniens: eo quia quęlibet pars temporis est tempus, sed non quęlibet pars reuolutionis est reuolutio. Adhæc inter motus orbium alius est velocior, alius tardior. Non autem contingit tempori, & occasioni; licet per tempus, & occasionem velocitates, & tarditates dimetiantur. Dicitur enim velox id, quod in pauco tempore multum spatij pertransit, & tardus, econtra. Fuerunt & alij, qui dixerunt tempus, & occasionem esse non posse sine motu, imo esse idem. Et fallebantur ab hoc exemplo dicentes. Dormientes in Rodo insula copularunt illud nunc, quo inceperunt dormire cum alio, in quo surrexerunt, à somno. Aliud exemplum: siquis esset in tenebris, & nihil pateretur in corpore, cogitans motũ, ilico perciperet tempus quo incepit cognoscere motum. Sed horum philosophorum error stat in hoc, quod licet prius, & posterius in tempore sit, à priori, & à posteriori in motu, vti contingit etiam in magnitudine. Attamen intelligebant motum, & tempus esse idem, quod est falsum. Bene autem verum est, quod tempus sequitur motum, & cognito motu, cognoscitur tempus, & cognito priori, & posteriori in motu, cognoscitur prius, & posterius in tempore. Sed non sequitur ex his illationibus motum

esse tempus. Quomodo autem cognoscatur tempus in motu, hæc est regula. Capiantur duę partes motus coniunctim, tunc insurgit tempus, quod est numerus, seu mensura motus secundum prius, & posterius. Verum si sine prioritate, & posterioritate partes ille nō cognoscantur, tempus esse nullo modo cognoscitur. Quare cum incipit distinctio secundum prius, & posterius, illico innotescit tēpus, eo, quia indicatur aliquid in terra fuisse, videlicet motum maiorem, & minorem, & illud est tempus, in quo est occasio. Est autem occasio secundum quam numerus est. Et sunt res numeratæ, seu numerabiles. Differunt autem tempus, & occasio: nam tempus per se est illud, quo numeramus. Occasio qua numeratur. Anima vero numerat tempus, & occasionem, & sine ea numerari non possunt. Atque ratio hæc est. Motus diuiditur per prius, & posterius ab anima. Igitur sicut anima dat formam distinctioni motus; ita dat formam distinctioni temporis, & occasionis. Sed animaduertendum est, quod tempus, & occasio non numerant motus infinitos, quia eccederent eius mensurā: & dato quod prior motus numeretur per posteriorē, & sic posset dari processus in infinitum. Hoc quippe contingeret secundum accidens. Etenim necesse est concedi primum mobile, quod est minimū, & complet motum in mi-
noti

nori tempore posſibili ſecundum humanam capacitatem, & imaginationem. Atque huic competit ratio menſuræ, aliter non daretur aliquod mobile, quod futurum eſſet omniũ temporalium rerum menſura, quod eſt tempus vnum, & in tempore occaſio.

Cæterum dubitatur quam proportionem, ſiue comparationem habeat occaſio ad tempus. Dicitur autem, quod ſicut mobile in actu non poteſt eſſe ſine motu, ita nec occaſio ſine tempore, & econuerſo: eo quia tam hæc quam illa ſe habent vt numerata, & numeri, quæ ſeſe inuicem referunt, & dicuntur ad viciſsitudinem ſeu conuertentiam. Differunt autem inter ſe, quia mobile & motus non numerantur per ſe, ſed per tempus, & occaſionem: exempli gratia occaſio menſurat mobile, quod mutatũ eſt: & tempus numerat motum, inſuper ſicut motus non eſt ſine mobili: ſimiliter nec tempus ſine occaſione. Sed occaſio ſe habet ad tempus, ſicut vnitas ad numerum. Vnitas enim diſtinguit vnum numerũ ab alio, vt quinarium, à quaternario. Sic & occaſio diſtinguit tempus præteritum, à futuro. Verum diſtinguitur vnitas ab occaſione, quia vnitas non continuat numeros, qui de ſui natura ſunt diſcreti. Occaſio autem continuat tempus, veluti punctus lineam. Etenim linea nihil aliud eſt, quam punctus ductus. Sic & tempus eſt continuata occaſio. Igitur

tam punctus, quam occasio faciunt continuitatem. Et licet videantur esse vnum inter se, habent tamē distinctionem. Videntur inquā vnum esse in principio, & habent distinctionem duorum in ratione principij & finis. Nihilominus cum aliquali differentia hoc agūt. Nam puncta remanēt in linea, & non fluunt. Occasiones vero fluunt, & præcipites sunt. Quare in tempore est occasio sicut mutatum esse in motu locali. Etenim mutatum esse nō est motus, nec eius pars, sed est terminus rei terminatæ ab eo. Similiter accidit occasioni in tempore. Adhęc autem ratio numeri competit tempori, & occasioni in tempore. Eo, quia sicut senarius numerus idem est cū sex lapidibus, veluti cum sex hominibus, ita idē tempus, & occasio sunt idem respectu rerum omnium temporalium. Est nihilominus verum, quod numeri semper equales sunt rebus numeratis, & sunt mensuræ, quæ non multiplicantur vt mensurata. Et quamuis dicatur hoc idem posse contingere in tempore quia in eo datur minimum, quod est occasio, qua sumitur mensura temporis. Attamen quatenus tempus continuum est, eatenus dicitur diuisibile, & non quatenus in eo est occasio. Exempli gratia vncia pōderat vnciam, & quatenus ponderat, minima est quæque tanquam minima non diuiditur, diuisibilis autem est ratione quantitatis.

Habet

Habet in super tempus suas proprietates, quarũ prima hæc est. Tempus quia continuũ dicitur longum, vel breue. Quia discretum dicitur multum, vel paruum. Non est autem per se velox, aut tardum, quoniam velocitas aut tarditas sunt differentiæ motus. Definiuntur vero, à tempore, aliter tempus defini ret se ipsum. Secunda proprietas est, quod tempus potest vocari diuersum non sui ratione, sed respectu occasionis. Eo quia in tempore prior est vna occasio, & posterior altera. Dictum est supra motui conuenire continuũ esse ratione spatij. Nam sicut motus est magnus, quando spacium est magnum. Ita & tempus similiter. Tertia proprietas est, quod circulus est, in tẽpore, sicut in motu cœli: proptereaque ab eo fluunt Ver, Aestas, Autumnus, & Hyems, quæ semper redeunt in circulum. Quarta proprietas est, quod tempus mensuratur, à motu per accidens, quia numerata possunt mensurare suos numeros. Exempli gratia, si quæratur quis est numerus quinarius, & ostenduntur quinque digiti, sic per numerata venimus in cognitionẽ numeri. Similiter in mensurando accipimus quandam partem rei mensurandæ, & per illam metimur residuum. At veritas vniuscuiusq. mẽsuræ sumitur, à motu cœli, qui vere continuus est vnus, & regula omnium motuum. Et quando apprimæ, à nobis rescitur, plane

venimus in cognitionē tēporis. Atq. tūc fine dubio dicere possumus tēpus longū, & tēpus breue. Exempli gratia tempus longum est, in mense Maij, quia dies sunt magni ob motū solis. Et in hyeme tēpus breue, ob motū solis breuem super terram. Excluduntur autem, à tempore, & ab eius dimensione, primum mouens, & alia sempiterna, dicente Aristotele; supra constitutam lationem non est tempus, neque motus. In primo mouente est ęternitas, quæ est incomprӕhensibilis vitæ, & simul tota perfecta possesio stabilitur, eo quia totum præteritum, & futurum sunt Deo præsentia. Cadunt autem sub tēpore, & sub tēporum, occasionibus quæcunque per tempora venientia, & per occasiones contingentes ab eisdē alteritates patiuntur. Atq. ea sunt, quæ generantur, & corrūpuntur, quæq. tabescentia in tempore, & in occasione euanescunt. Notandum autem est, quod non omne immobile est quiescibile: sed illud est quiescibile quod actu mouetur, aut aptum est moueri. Et propterea ab immobile non mensurantur non existentia, sicut à tēpore sumunt dimensionem. Quare, à tempore, & ab occasione non tantum inferiora, quæ sunt, habēt dimensionem, sed quæ aliquando sunt, & aliquando non sunt veniunt in temporis, & occasionis mensuram.

Sed ne in longum protraham sermonem:

dicunt ſapientes, quod hæc omnia contingunt, à tẽpore, & ab occaſione, videlicet obliuio, & ignorãtia. Doctrina autem non, quia facit rem diſtare, à ſuo principio. Similiter dictiones quæ in tempore aliquid ſignificãt hæ ſunt videlicet. Nunc dictio in tempore ſignificat tempus præteritum, & futurum propinquum occaſioni, Exempli gratia: Magiſter in ſcholis leget nunc: atque hoc idem ſignificant dictio iam, & modo. Olim dicit tempus remotum, à præſenti, vt olim fuit Ilium. Repente, ſeu ſubito, & illico oſtendunt tempus imperceptibile, ſeu inſenſibile. Prius, & poſterius ſunt diuerſimode in præterito, & futuro: Nam ex parte pręteriti prius eſt remotius, à præſenti, & poſterius propinquius, ſecus vero ex parte futuri: & tandem ſicut contingit in motu locali, ita etiam euenit in tempore, ſed in motu locali datur primus motus, qui eſt menſura, & regula omnium aliorum motuum, & eſt firmamentum. Ita in tempore euenit, veluti patet, quod dies naturalis xxiiij. horarum, qui menſurat motum à puncto initiare ad eundem terminantem ipſum in tali die, eſt cauſa, ſeu ratio, quare hebdomadæ, menſes, anni, & mille annorum numerãtur.

hoc sit verum manifestatur. Quid est tempus & occasio in re medica. Non præteritum, neque futurum, quia non sunt. Forsitan erunt pręsens? Et hoc esse non possunt, quia pręsens non capit totum tempus, & occasionem, neque potest complere omnem temporis, & occasionis existentiam. Itaque in re medica tempus nosse, & occasionem sumere neque vtile est, neque necessarium. Verum forsitan potest saluari tempus, & occasio per memoriam, per obseruationem, per incidens fortuitum, quod, a proposito, vel sine proposito cõtingere solet? Sed quid opus est tempore, & occasione. Si hæc euidentia sufficiunt? Medicina siquidẽ nihil aliud est, quam usus medicamentorum, & qui cadit a medicamẽtis non est amplius medicus. Propterea que ab vsu medicinæ secernenda est aliena comprahensio; & contraria in compræhensibilitas semper fugienda est; difficultas vitanda quæ discrepantiam parit. Atque hæc omnia faciunt incompręhensibile iudicium. Iudicium autem incomprehensibile est quod de tempore, & occasione sumitur, & ideo in iudicabile, quia de rebus occultis nunquam non ambiguam contemptionem parit. Nos uero empirici quæ circa euidentia sunt versamur, & profitemur. Proptereaq. unũ quodq. quale sit, quum apparet verũ esse testamur. At quum de tempore, & de occasione nulla
apparear

appareat per euidētiam cognitio qualia ſint in medicina, aut quam vtilitatem afferant in medicationibus, haud quaquā ſcire valemus.

Methodici autem, qui artē medicam methodo pertractandam eſſe tradiderunt, quoniam per communitates præceptiones omnes iudicabant, multa in re medica opera immutare compulſi ſunt. Dicebant ſiquidem locum affectum ad curationis indicationem nihil conferre, negabant cauſam morbi, Etatem, anni conſtitutionem, regionem, virium egrotantis inſpectionem & habitum contēnebant. In ſuper tempora, regiones, & conſuetudines non admittebant, eo quia, a ſolis affectibus eius quod conferret indicationem ipſis ſatis eſſe dicerent, neque ab ijs ſpeciatim, ſed communiter, & in vniuerſum aſſumere, neque has ipſas indicationes procedere particulatim, ſed ſimpliciter teſtabantur. Quare in hæc verba prorumpentes dicebāt. Nos methodici per dogmata latentia perſcrutamur, & verſamur in ijs, quæ communiter euidentia ſunt, & conſentientia ſequimur. Deſpicimus vero quæ ad ſanitatem neceſſaria eſſe non putamus. Non eſt autem neceſſarium tempus, & occaſio in medicina ita vt expediens & vtilis ſit ad ſanitatem tuēdam, & ad auferēdam egritudinem, quia ab ijſdē nulla ſequitur euidens communis indicatio. Iam ſcimus tempus, & occaſionem manife-

 ſtiſsima

stissima esse in natura. Sed in intellectu tantũ saluantur eo modo, quo seruatur accidens in suo subiecto. Et quemadmodum sublato subiecto accidens non remanet: ita remoto intellectu nullibi sunt tempus, & occasio. Proinde qnãdo philosophi inquiunt tempus est numerus, seu mẽsura, qua metimur motum, & numeramus rerum actiones, ostenderunt nullibi tempus seruari posse, præterquam in anima. In rebus autem, & in actionibus secundum quendam fluxum licet prius, & posterius sint, quæ videntur esse discrimina temporis. Attamen non sunt, eo quia motus, & mutationum sunt condictiones, & non temporis, & occasionis. Etenim quæcunque huiusmodi dicuntur esse, intellectu tantũ percipiuntur, & non sensu: siquidem contingit medico non pręsente egroto metiri posse tempus & occasionem egritudinis. Et vnde hoc, in tempus & occasionem solo intellectu meditaretur? Quare cum tempus, & occasio nullam de se faciant cõmunitatem, & si qua est in anima reperitur, & nõ in medicationibus. Ideo uanum esse putatur in re medica, quod pro egrotãtium curatione, & morborum inuestigatione non est, id necessarium futurũ existimare. Sufficit igitur nobis cõmunes habere indicationes, in quibus tota ars methodica continetur.

Rationales vero medici, qui neque empi-

ricos laudant, neque methodicos laude dignos putant, medij inter vtrosque, secundũ Hippocratis sententiam tempus & occasionẽ in re medica esse, & plurimum conferre arbitrantur, propterea calumniantes eorum opiniones, dicunt. Firma, certa, & stabilia sunt medicinæ principia, nec non vtilia eius præcepta, & semper consentanea veritati, quia vti legitima sunt ita iudicari debentur. At naturale principium est tempus, & cum tempore occasio, quia natura agit in tempore. Et in medicina vtile est: nam teste Hippocrate. Medela tempore, & aliquando occasione contingit. Quod pręceptum multitudinem quandam compręhensionum, tum cogit, tum etiam aliquod cõducibile proponit, & imperat. Etenim comprehẽdit multa, quia mos Hyppocratis est laconice loqui, & aphoristice plurima referre. Atque etiam commodum est tempus, quia conducibile ad tuendæ vitæ conseruationem. Sed quomodo sit vtile, & consentiens veritati manifestabitur. Inter omnia, quæ in arte medica pertractantur, aliqua sensui euidentia sunt, aliqua sensum latent. Similiter inter euidentia aliqua innotescunt per se, vt albus, & ater color. Aliqua claritatem habent ab alijs, vt sunt ea, quæ signis depræhenduntur. Rursum inter ea, quę sensui abdita sunt, aliqua intellectui sunt perspicua, vt bis duo faciunt quatuor. Ali-

qua per ostensionem cognoscuntur, vt si be ne vti licet hoc, etiam ab uti licebit, & quæ ab eodem sequuntur. Suppositis igitur his Galeni principijs, dicendum est, quod notitia temporis, & occasionis in re medica, neque omnino pēdet ab intellectu, neque prorsus prouenit, a sensu: sed partim sensui euidenti referenda est, & partim intellectui. Sensu enim diiudicatur per id, quod euidentiā parat. Et per intellectum est perspicua, quando temporis, & occasionis facit dimēsiones. Vanum quippe, & irrisorium esset, sententiā de sensu euidentibus non sensorijs, & de intellectis demonstrationem nolle proferre. Quare magnæ demētiæ, & imperitiæ esset in re medica, si tempus, & occasio contingunt, sensuque, & intellectu percipiuntur, velle negare vtilia, necessaria, & commoda esse: non posse. Ideo non est credendum falsis, & fatuis opinionibus aut empiricorum, qui negāt tempus in medicina, aut methodicorum, qui male de eo sentiunt. Quorum omnium scriptæ sunt sententiæ ad hoc vt errores fugiantur. Et qui sunt periti in re medica facilæ a malis eligant bona. Quare diserte inquit philosophus: non solum agendæ sunt gratiæ ijs, qui bene dixerunt, sed etiam ijs, qui male, nobis enim aditum ad benedicendū aperuerunt. Igitur si tempus & occasio manifestissima sunt in natura. Qui negant hæc, mo

tum

tum negant. Et qui tollunt motum patiuntur imbecillitatem intellectus. Quapropter tanquam manifestissima supponenda sunt motus, tempus & occasio. De motu iam dictum est, sed de tempore & occasione est dicēdum.

Primo autem dubitandum est an in re medica sit idem tempus, quod occasio? Secundo. Dubitandum an in vno tempore secundum vniuersum sit vna occasio tantum, vel plures? At primæ dubitationi respondet Hypocrates dicens. Tempus in quo occasio est: occasio in qua tempus non multum ex quibus verbis patere potest tempus ab occasione differre, quia esse in aliquo non dicit, idem. Similiter tempus dicit quoddam totum, & continuum, occasio vero notat articulum, momentum, & instans. Ad hæc secundæ dubitationi respondetur. Quod plures esse non possunt simul occasiones ita, vt prima remaneat adueniente secunda, quia tunc essent duæ simul. Atq. primũ tempus maneret adueniente secundo, & sic idem esset præsens, præteritum, & futurum, quod est impossibile. Similiter si plures essent occasiones simul, vt puta duæ, tunc altera deficiente, hæc sequerentur. Nam vel deficeret in se, vel in alio. In se autem deficere non potest, quia tunc occasio esset, & non esset; Nec etiam in alio, quia non in præterito; prius enim deficeret, quam esset, nec in futuro non imme-

diato, quia occasio non est immediata occasioni. Nec mediato, quia inter duas occasiones datur medium tempus, in quo sunt infinitæ cũ quibus simul esset. Quare esset vna & eadem occasio in toto tempore. Oppositum autem videntur sentire aliqui philosophi, & nonnulli medici rationales dicentes. Omnes finitũ terminatur duobus terminis, sic & tempus duabus occasionibus. Adhuc si vna tantum esset occasio. Tunc, illa quæ facta sunt ab Hyppocrate, & à Galeno in anno millesimo non essent priora illis, quæ, à me fiunt, quia mensurarentur eadem occasione. Forsitan autem dicentes in tempore vnam esse occasionem intellexerunt illam vnam respectu rei mobilis, & sic tempus ad motum retulerunt. Mobile siquidem est idẽ subiecto in toto motu, distinctum vero ratione prioris, & posterioris temporis, & sic occasio est idem subiecto in toto tempore.

Solutis itaq. dubitationibus pro meliori notitiã temporis, & occasionis primum de ijs erit sermo secundum intentionem philosophorum.

Deinde quomodo, à medicis intelligatur explicabitur.

Igitur nonnulli philosophi putantes tẽpus, & motum cœli esse idem, quia alterum sine altero esse nõ potest, errauerũt in hoc, quod sicut simul dantur plures diuersorum orbiũ

reuolu-

reuolutiones; ita essent plura tempora simul, & nulla esset occasio; quod esset inconueniens: eo quia quęlibet pars temporis est tempus, sed non quęlibet pars reuolutionis est reuolutio. Adhæc inter motus orbium alius est velocior, alius tardior. Non autem contingit tempori, & occasioni; licet per tempus, & occasionem velocitates, & tarditates dimetiantur. Dicitur enim velox id, quod in pauco tempore multum spatij pertransit, & tardus, econtra. Fuerunt & alij, qui dixerunt tempus, & occasionem esse non posse sine motu, imo esse idem. Et fallebantur ab hoc exemplo dicentes. Dormientes in Rodo insula copularunt illud nunc, quo inceperunt dormire cum alio, in quo surrexerunt, à somno. Aliud exemplum: siquis esset in tenebris, & nihil pateretur in corpore, cogitans motũ, ilico perciperet tempus quo incepit cognoscere motum. Sed horum philosophorum error stat in hoc, quod licet prius, & posterius in tempore sit, à priori, & à posteriori in motu, vti contingit etiam in magnitudine. Attamen intelligebant motum, & tempus esse idem, quod est falsum. Bene autem verum est, quod tempus sequitur motum, & cognito motu, cognoscitur tempus, & cognito priori, & posteriori in motu, cognoscitur prius, & posterius in tempore. Sed non sequitur ex his illationibus motum

esse tempus. Quomodo autem cognoscatur tempus in motu, hæc est regula. Capiantur duę partes motus coniunctim, tunc insurgit tempus, quod est numerus, seu mensura motus secundum prius, & posterius. Verum si sine prioritate, & posterioritate partes ille nō cognoscantur, tempus esse nullo modo cognoscitur. Quare cum incipit distinctio secundum prius, & posterius, illico innotescit tēpus, eo, quia indicatur aliquid in terra fuisse, videlicet motum maiorem, & minorem, & illud est tempus, in quo est occasio. Est autem occasio secundum quam numerus est. Et sunt res numeratæ, seu numerabiles. Differunt autem tempus, & occasio: nam tempus per se est illud, quo numeramus. Occasio qua numeratur. Anima vero numerat tempus, & occasionem, & sine ea numerari non possunt. Atque ratio hæc est. Motus diuiditur per prius, & posterius ab anima. Igitur sicut anima dat formam distinctioni motus; ita dat formam dictinctioni temporis, & occasionis. Sed animaduertendum est, quod tempus, & occasio non numerant motus infinitos, quia eccederent eius mensurā: & dato quod prior motus numeretur per posteriorē, & sic posset dari processus in infinitum. Hoc quippe contingeret secundum accidens. Etenim necesse est concedi primum mobile, quod est minimū, & complet motum in mi-

nori tempore posſibili ſecundum humanam capacitatem, & imaginationem. Atque huic competit ratio menſuræ, aliter non daretur aliquod mobile, quod futurum eſſet omniũ temporalium rerum menſura, quod eſt tempus vnum, & in tempore occaſio.

Cæterum dubitatur quam proportionem, ſiue comparationem habeat occaſio ad tempus. Dicitur autem, quod ſicut mobile in actu non poteſt eſſe ſine motu, ita nec occaſio ſine tempore, & econuerſo: eo quia tam hæc quam illa ſe habent vt numerata, & numeri, quæ ſeſe inuicem referunt, & dicuntur ad viciſsitudinem ſeu conuertentiam. Differunt autem inter ſe, quia mobile & motus non numerantur per ſe, ſed per tempus, & occaſionem: exempli gratia occaſio menſurat mobile, quod mutatũ eſt: & tempus numerat motum, inſuper ſicut motus non eſt ſine mobili: ſimiliter nec tempus ſine occaſione. Sed occaſio ſe habet ad tempus, ſicut vnitas ad numerum. Vnitas enim diſtinguit vnum numerũ ab alio, vt quinarium, à quaternario. Sic & occaſio diſtinguit tempus præteritum, à futuro. Verum diſtinguitur vnitas ab occaſione, quia vnitas non continuat numeros, qui de ſui natura ſunt diſcreti. Occaſio autem continuat tempus, veluti punctus lineam. Etenim linea nihil aliud eſt, quam punctus ductus. Sic & tempus eſt continuata occaſio. Igitur

tam punctus, quam occasio faciunt continuitatem. Et licet videantur esse vnum inter se, habent tamē distinctionem. Videntur inquā vnum esse in principio, & habent distinctionem duorum in ratione principij & finis. Nihilominus cum aliquali differentia hoc agūt. Nam puncta remanēt in linea, & non fluunt. Occasiones vero fluunt, & præcipites sunt. Quare in tempore est occasio sicut mutatum esse in motu locali. Etenim mutatum esse nō est motus, nec eius pars, sed est terminus rei terminatæ ab eo. Similiter accidit occasioni in tempore. Adhęc autem ratio numeri competit tempori, & occasioni in tempore. Eo, quia sicut senarius numerus idem est cū sex lapidibus, veluti cum sex hominibus, ita idē tempus, & occasio sunt idem respectu rerum omnium temporalium. Est nihilominus verum, quod numeri semper equales sunt rebus numeratis, & sunt mensuræ, quæ non multiplicantur vt mensurata. Et quamuis dicatur hoc idem posse contingere in tempore quia in eo datur minimum, quod est occasio, qua sumitur mensura temporis. Attamen quatenus tempus continuum est, eatenus dicitur diuisibile, & non quatenus in eo est occasio. Exempli gratia vncia pōderat vnciam, & quatenus ponderat, minima èst quæque tanquam minima non diuiditur, diuisibilis autem est ratione quantitatis.

Habet

Habet insuper tempus suas proprietates, quarũ prima hæc est. Tempus quia continuũ dicitur longum, vel breue. Quia discretum dicitur multum, vel paruum. Non est autem per se velox, aut tardum, quoniam velocitas aut tarditas sunt differentiæ motus. Definiuntur vero, à tempore, aliter tempus definiret se ipsum. Secunda proprietas est, quod tempus potest vocari diuersum non sui ratione, sed respectu occasionis. Eo quia in tempore prior est vna occasio, & posterior altera. Dictum est supra motui conuenire continuũ esse ratione spatij. Nam sicut motus est magnus, quando spacium est magnum. Ita & tempus similiter. Tertia proprietas est, quod circulus est, in tẽpore, sicut in motu cœli: propterea que ab eo fluunt Ver, Aestas, Autumnus, & Hyems, quæ semper redeunt in circulum. Quarta proprietas est, quod tempus mensuratur, à motu per accidens, quia numerata possunt mensurare suos numeros. Exempli gratia, si quæratur quis est numerus quinarius, & ostenduntur quinque digiti, sic per numerata venimus in cognitionẽ numeri. Similiter in mensurando accipimus quandam partem rei mensurandæ, & per illam metimur residuum. At veritas vniuscuiusq. mẽsuræ sumitur, à motu cœli, qui vere continuus est vnus, & regula omnium motuum. Et quando apprimæ, à nobis rescitur, plane

venimus in cognitionē tēporis. Atq. tūc sine dubio dicere possumus tēpus longū, & tēpus breue. Exempli gratia tempus longum est, in mense Maij, quia dies sunt magni ob motū solis. Et in hyeme tēpus breue, ob motū solis breuem super terram. Excluduntur autem, à tempore, & ab eius dimensione, primum mouens, & alia sempiterna, dicente Aristotele; supra constitutam lationem non est tempus, neque motus. In primo mouente est ęternitas, quæ est incompræhensibilis vitæ, & simul tota perfecta possessio stabilitur, eo quia totum præteritum, & futurum sunt Deo præsentia. Cadunt autem sub tēpore, & sub tēporum, occasionibus quæcunque per tempora venientia, & per occasiones contingentes ab eisdē alteritates patiuntur. Atq. ea sunt, quæ generantur, & corrūpuntur, quæq. tabescentia in tempore, & in occasione euanescunt. Notandum autem est, quod non omne immobile est quiescibile: sed illud est quiescibile quod actu mouetur, aut aptum est moueri. Et propterea ab immobile non mensurantur non existentia, sicut à tēpore sumunt dimensionem. Quare, à tempore, & ab occasione non tantum inferiora, quæ sunt, habēt dimensionem, sed quæ aliquando sunt, & aliquando non sunt veniunt in temporis, & occasionis mensuram.

Sed ne in longum protraham sermonem:

dicunt

dicunt ſapientes, quod hæc omnia contingunt, à tẽpore, & ab occaſione, videlicet obliuio, & ignorãtia. Doctrina autem non, quia facit rem diſtare, à ſuo principio. Similiter dictiones quæ in tempore aliquid ſignificãt hæ ſunt videlicet. Nunc dictio in tempore ſignificat tempus præteritum, & futurum propinquum occaſioni, Exempli gratia: Magiſter in ſcholis leget nunc: atque hoc idem ſignificant dictio iam, & modo. Olim dicit tempus remotum, à præſenti, vt olim fuit Ilium. Repente, ſeu ſubito, & illico oſtendunt tempus imperceptibile, ſeu inſenſibile. Prius, & poſterius ſunt diuerſimode in præterito, & futuro: Nam ex parte pręteriti prius eſt remotius, à præſenti, & poſterius propinquius, ſecus vero ex parte futuri: & tandem ſicut contingit in motu locali, ita etiam euenit in tempore, ſed in motu locali datur primus motus, qui eſt menſura, & regula omnium aliorum motuum, & eſt firmamentum. Ita in tempore euenit, veluti patet, quod dies naturalis xxiiij. horarum, qui menſurat motum à puncto initiare ad eundem terminantem ipſum in tali die, eſt cauſa, ſeu ratio, quare hebdomadæ, menſes, anni, & mille annorum numerãtur.

Tempus, & occasio quo nam pacto in re medica intelligantur. CAP. III.

ET ne quis miretur in supradictis rationibus, quæ more philosophico conscriptæ sunt, & dicat parum, aut nihil ad rem medicam conferre. Hoc adeo ex hac re secundo venit in mentem mihi velle declarare quomodo tempus, & occasio in re medica intelligantur. Erit autē sermo dilucidus quia per res sensibiles explicabitur, neque ab ijsdem erit recessus, ne per intellectus abstractionem legentium animum iterum meditando defatigem. Principio igitur per actus humanos non impedientes hominem nascitur tempus & occasio. Atque comparantur puero dormienti, qui facilem præstat furantibus, oportunitatem. Quam ob rem vel vltra se se offerant, vel inuito; hinc fit, vt bonæ seu malę conditionis nomen sibi assumant. Exempli gratia exitus alicuius actus bonus est, ideo tēpus bonum. Et successus alicuius occasionis est malus, ideo occasio mala. Itaque in omnium rerum actionibus, quæ per tempus, & per occasionem mēsurantur, necesse semper est illud tempus, & eam occasionem medicū capere, quæ bona sunt, non autem quę mala. Etenim a malis mala contingunt. & si aliquādo bona, hoc fit per accidens, & non per se.

A bonis

A bonis autem ſemper eueniunt bona, quia ſunt ſecundum condecentiam, & oportunitatem. Dictum eſt igitur, quod tempus & occaſio naſcuntur per actus humanos non impedientes homines, attamen non ſunt cauſa, vt eoſdem actus operentur homines. Cauſa ſiquidem illa eſt ex qua aliquid fit, vt ex pluuia, fiunt cænoſæ viæ. Sed tempus, & occaſio ſunt, quæ præbent oportunitatem illas adeundi, & non adeundi. In ſuper in eis non eſt veritas, quæ tamquam bonum ſemper eligatur. Propterea quod in ijs non cognoſcitur quid boni, aut quid mali proponatur cum comparentur puero dormienti, ideo nihil aliud præſtant niſi oportunitatem. Eliguntur autem tempus, & occaſio in humanis actibus, vt omne poſsit aufugi impedimentum. Materia temporis, & occaſionis eſt copia humanorũ actuum, quæ plurima eſt, vbi plures contingunt, ſed eſt pauca, vbi de tempore & de occaſione rarum quid euenit. Modi eorũdem ſunt diſtincti, à modis ceterarum rerum, nam modi in ijs ſunt ſecundum oportunitatem, & declarantur per hęc verba: & nõ ſunt ſimpliciter per electionem. Dicitur enim capere, ſeu captare tempus, & occaſionẽ. Tempus & occaſionem ſumere; occaſionem, & tempus venire, parere, videri, dare, habere, offerri, nanciſci, tenere, remitti, & huiuſmodi. De quibus omnibus exempla dare longum

gum esset modo verba facere. Fient autem postea, quando particulatim de ijs erit sermo in medicationibus. Dictum est supra eis non inesse veritatem, ideo non est ijsdem fidendum cum longam non habeant potestatem; sed magnam ambiguitatem. Nam dum spem felicitatis vidētur polliceri, blanda mētiuntur. At in hoc vera sunt quod se se instabilia vna cum mutatione demonstrant. Fallūt etenim sępe homines, aut semper instruunt, vt eos à veritate deuios trahant, præcipue quando ipsorum mentes ad solam retrahunt ambiguitatem. Conueniunt autem cū fortuna, vt dicebant antiqui in hoc, quod prodesse magis dicuntur quando recedūt, quam quādo præsentia sunt, eo quia memoria pręteritorum hominem reddit cautiorem. Et nullus ijsdem datur modus, vt ab hominibus clauo affigantur, sed differunt à fortuna. Nā fortuna suos discedēs aufert amicos. Occasio & tēpus suos reddit ambiguos: Fortuna cum splēdet, frangitur. Sed tēpus, & occasio citius reperiuntur, quam retineātur. Hinc fit, quod plerunque male geritur id quod sub eorum ambiguitate decernitur. Igitur quicunque in tempore, & in occasione simpliciter ponit obicē ęque atque haberi potest ac si tesseras ludat, & in alea, seu in palestra decipiatur. Totum autem hoc facit eorum mutabilitas, quæ tanta est, quanta vix animo percipi pōt.

Non

Non est enim vna mutatio, qua actiones humanæ aguntur. Sed multiplex, varia, perplexaque, de qua legitur hoc elogium. Optima vindex est insolentiæ varietas conditionis humanæ, quæ si vnquam potens inuenitur, in solo tempore, & occasione collocatur. Sed video tamquam, e specula aliquos dicentes. Si hæc, & tanta de tempore, & de occasione sunt vera, quid opus est eorundem quęrere modum? Et si modus est, qui per nomen tantum exprimitur (vt supra dictum est) quam necessitatem, aut quam vtilitatem afferunt in re medica? Nominum cognitio pertinet ad grammaticum, & ad dialecticum, & non ad medicum. Etenim nō curat de nominum impositione medicus, immo per eam verborum phrasim quā supra descripsimus ex vulgariū hominum intentione per eandem possumus metiri tempus, & occasionem plurimum prodesse non solum in arte medica, sed in ijs omnibus, in quibus de industria eligitur finis; & quod hoc sit verum manifestatur. In cunctis artibus sunt materia, finis, instrumenta, & agens naturale. Quod si inter hęc non est modus, etiam non est tempus, & occasio. Insuper si exercētur secundum tempus, & secundum occasionem, habere modum necesse est; sed differt modus tēporis, & occasionis à modo aliarum rerum, quod in rebus certus est modus, sed in tempore, & in occasione mo-

dus

dus est per similitudinem, & per imitationem. Exempli gratia modus malus in tempore, & in occasione mala exitum habet malũ. In malo exitu semper est miseria sed in bono exitu delectatio, & gaudium. Quare necesse est vt sapientes sint, & periti in artibus, qui tempore, & occasione frui volunt ad bonũ vt letentur, & gaudeant, & ad malũ, vt ipsum defugiãt, & vitent. De se enim nudant ingenium, & celant homines tempus, & occasio, ita vt non equa mente de ijs posit dici, quod equo pede posideãtur: propterea sapiẽtes ijs dominantes, eisdem imperant, & modum imponunt. Supradictum est tempus & occasionem versari maxime circa actus humanos. Modo dicitur nullum esse inter homines qui in tempore, & in occasione non desideret, & cupiat. Cupit autem vnusquisq. aut res vtiles, aut necessarias, aut honestas. Vtiles sunt, quæ existimãtur, vt dignitas, amplitudo, diuitiæ potestas, & huiusmodi. Honestæ sunt, quæ secundum virtutes, & bonos mores exequi homines, nituntur. Necessariæ vero sunt, sine quibus necessario homines esse non possunt: de quibus rebus omnibus apprime Hypocrates locutus est in libello de ornatu decenti. At de necesitate loquẽs inquit: Necesitas coegit homines perquirere, & inuenire medicinam. Quare quæ in medicina compræhenduntur necessaria sunt, & secun-

& secundum eandem necessitatem tempori subiacent, & occasioni: dicente Hypocrate: Existentia, quæ ex ijsdem fiunt, per tempora venientia alteritates pati necesse est, eo quia semper fluunt, semper mutantur. Et in quod fluidum est, firmetur, nullam unquam habere poterit medicationẽ. Et quomodo hoc fieri possit, inferius declarabitur. Ceterum consensus omnium sapiẽtum super tempore, & occasione est, vt in omnibus rebus per actus humanos inquirendis, & inuestigandis plurimũ cõmodentur. Quid autem operentur in cũctis artibus, inferius patebit. Sed quid agãt in re medica, dicitur. Quod tẽpus, & occasio sunt facultas aliquid faciendi, & non faciendi secundum oportunitatem. Etenim sunt facultas, quia sicut res honestæ per tempus, & per occasionem prębent facultatem firmitudini. Et res vtiles dant commodum: sic res necessarię portendunt, & secum ferunt necessitatem, à qua sumit medicus facultatem medendi. Propterea qui sunt periti in arte coguntur fateri facultatem, & vsum temporis, & occasionis; plurimũ prodesse, saltem quia imitantur formam virtutis, quæ de sui natura facit vitare malum, & eligere bonum. Et ij medici, qui talem temporis, & occasionis facultatem norunt non solum præsentem medelam adipiscuntur, sed futuram præmeditatione inquirunt. Quare operantes sic in me

dicina,

dicina, recte quidem faciunt, sed non omnia prospere, & feliciter semper assequuntur. Non assequuntur inquam omnem sanitatem, quia victos à morbis, tales medicina sanare non potest. Ideo differunt inter se etiā medici, qui temporis, & occasionis notitiam habent, & eorundem facultatem non ignorant. Etenim aliqui sunt qui ea vtuntur per oportunitatem, & aliqui non. Illi qui per oportunitatem exequuntur hanc facultatē, habent hoc, vt inuita natura nihil operentur. Sed qui præter oportunitatem dicūt, aut faciunt, plerumque deturbant naturam, quę in motibus suis deordinatur. Quare necesse est facultatem temporis, & occasionis nosse. Sed operepretium est etiam totis viribus eniti habere oportunitatem. Dubitant autem aliqui an oportunitas sit idem, quod indicatio. Et respondetur quod non, quia indicatio tantummodo est respectu eius, quod indicat, aut indicatur. Sed oportunitas cū hoc, quod indicet, secum semper fert facultatem. Dubitatur etiā in quo consistat hæc facultas secundum oportunitatem. Cui dubitationi respondet. Hyppocratès dicens. Nec solum oportet præstare oportuna faciētem, sed assidentes, & exteriora. Ex quibus verbis patere potest quod medicus facit, asſidentes faciunt, & exteriora faciunt. Sed diuerso modo. Nam medicus habet facultatem, quia secundum

medicinæ præceptiones præcipit, & imperat non solũ naturæ, vt indemnis leuetur à morbo, sed assidentibus, & exterioribus, similiter assidentes habent facultatem, scilicet eam, quam præcepit eis medicus. Et exteriora habent facultatem aut naturalem, & propriam, aut quam per electionẽ ab ijsdem exigit medicus. Exẽpli gratia exigit, à Rabarbaro purgationem coleræ primum, deinde cæterorum humorum, & sic de alijs. Sed tam medici, quã assidentes, & exteriora facultatem non habent rectam in medicationibus, nisi per opportunitatem temporis, & occasionis. Potest in medicina plurimum etas, locus, consuetudo, & huiusmodi. Sed prẹter oportunitatem temporis, & occasionis plerumque aberrant, à scopo veræ medicationis. Propterea optima semper est eorum cognitio non solum in omnibus artibus, scientijsque, ut patebit inferius, sed etiam in medicina præ omnibus. Etenim in hac inrecuperabilis est tẽporis, & occasionis amissio. In scientijs vero & artibus non tantũ. In super (vt inquit Hyppocrates) medela tempore, & aliquando occasione cõtingit. Tempore inquam, quia tempus non est occasio. Et contingit occasione, quia occasio aliquid est in tempore. Conueniunt autem, quando sunt medela, vt sint in actu, & non in potestate. Potestate enim nullibi sunt. Nec obstat vt Empirici dicebant, quod

ſint ignota, & procul noſtræ ſint imperuia menti. Nec obſtat etiam quod dicunt methodici, quod de tempore, & de occaſione nulla eſt communitas. Et propterea tempus, & occaſio excluduntur à medicina. Poſſunt quidem excludi ſecundum potentiam, ſed ſecundum actum minime, eo quia per actus humanos habent exiſtentiam. Et ſecundum eoſdē actus faciunt fęcūdam medicis recordationē. Nam ſi ciuilis actio, politica adminiſtratio, militaris diſciplinę peritia habent hoc, ut per temporis, & occaſionis oportunitatem regātur. Quanto magis medendi ſolertia, in qua uita humana per omnem curſum cognoſcit ſuam neceſsitatem, per eadem miniſtrabitur?

Oportunitas temporis, & occaſionis humanis in omnibus actionibus inueſtigatur.

CAP. IIII.

SED qui oportunitatem temporis, & occaſionis deſcribunt, eam eligunt à recta, & non recta facultate occaſionis, & temporis, ſecundum actum, & non ſecundū poteſtatem aliquid faciendi, & non faciendi. Exiſtentia quippe omnia, quæ temporanea ſunt, habent potentiam, & actum: ſecundū potentiā, nulla eſt eorū oportunitas, ſed ſecūdum actū habent cōmertium cū tempore, & cū occaſione. Atq. hoc pacto facultas aliquid

faciendi & non faciendi secundum oportunitatem, & necessitatem in re medica respicit actum, & non potestatem. Interest etiam medico illam in re medica respicit actum, & nõ potestatem. Interest etiam medico illam habere potestatem, quæ facit memoriam; ipsa siquidem est, quæ reddit eundem diuinum, & præsagientem. Sed non facit illum medentẽ, & expertum. Igitur dum medicatur egrotos, omnis medela per actum, & non per potestatem est adhibenda, aliter deciperetur in medicationibus, & spe gauderet, quod actu pollicetur, quemadmodum faciũt ij nebulones, qui dum multa per spem promittũt, actu nil unquam boni attingunt. Differt autem oportunitas ab occasione, quantum abundat occasio à tempore. Tempus præteritum facit ad recordationem, & non ad medelam. Et de occasione semper dubium est, quia in tempore est non multum. At de oportunitate dicitur sic. Temous, & occasio facultatem præbent aliquid faciendi & non faciendi, quando secum ferunt oportunitatem. Dicet quis, an vna in omnibus rebus est oportunitas. Respondent astrologi, quod non, sed plures, & diuersæ. Etenim oportunitas coniunctionis luminarium diuersa est ab oportunitate oppositionis, non propter tempus, & occasionem, sed propter distantiam, & propinquitatem secundum aspectum. Et medici simili-

ter diuerso modo sumunt oportunitatem à calido, à frigido, humido, & sicco. Igitur nõ tantum est necessaria mensura temporis, & occasionis, quantum expedit oportunitas in rebus agendis. Quorum notitia esse nunquã debet sine ratione. Et ratio sumitur ab experimentis, exempli gratia. Per obseruationem circuituum multarum occasionum & per lõgam diuturnamque temporis dimensionem sapientes facti sunt expertos. Et ex plurimis experimentis facta est ars, quę longa quidem est ijs, qui omnia experiri cupiunt, sed non ijs, qui peritis in arte multa concedunt, & ex eorum vsibus multa experiuntur. Igitur notitia cognoscendi facultatem temporis, & occasionis secundum oportunitatem, quia comparatur dispositioni alicuius consequentis cum subiecto, vel assimilatur motui respectu numeri in rebus numeratis, est similis motui diurno, qui semper in veritate conspicitur. Atque huiusmodi notitia est vera non tantũ ratione temporis, & occasionis, quæ sunt, sed fit etiam vera per inuentionem, & per iudicium. Qui duo modi ad inueniendi veritatẽ plurimum conferunt tum in rebus naturalibus cognoscendis, tum in rebus non naturalibus eligendis, & præter naturam curandis. Quapropter ne legentes sub dubio remaneant in hac difficultate cognoscẽdi temporis, & occasionis oportunitatem, placet non
nulla

nulla exempla apponere. Et primo conscribam vniuersalia, quæ circa actus humanos exequi videntur homines. Deinde reuertar ad temporis demensiones: & tandem vtilitatem, & necessitatem eorumdem in re medica manifestabo. Inter actus naturales primas partes habere videntur agricultores, qui rerum naturalium maximam curam gerunt. Et quibus oportunitas temporis & occasionis admodum prodesse conspicitur. Proptereaque vnusquisque agricultor, qui alimenta mortalibus subministrat, nunquam vult agrũ suũ sordescere, neq. uites ei, neq. arbores de- ..ctui, aut neglectui sunt. Ideo facit tẽpore, occasionem obseruat, & nihil earumdem sine o..ortunitate exequitur. Exẽpli gratia. Oportunus est mensis Ianuarius ad sarculandum, ad arbusta, vitesq. putandum Februarius videt suum agricultorem amigdalum, inglandemque nucem serentem, & rosaria conserentẽ. Martius pirum, malum, morum, vitesque putantem; nec nõ melones, cucumeres, citereta serentẽ admonet. Aprilis dat germen gratum. Maio seruit flos. Ouium celebranda tonsura, caseus coagulandus. Iunius prata falcibus redolentia præstat. Iulius declinat spicas messoribus. Augustus messes metit. Se ptember humi semina iactat. October vina propinat. Nouember pascit sues, quos. December, nobis pingues emactat. Quare cer-

tis mensibus secundum oportunitatem tẽpo ris, & occasionis cęli officia distinguũtur. Et certis diebus, & mensibus à natura genitis sparsim per terras datur facultas nascendi, crescendi, & decrescendi pro vt tempus, & occasio postulat. Videntur enim inter terrena nõnulla, quæ verno tempore florent, quedã æstiuo, alia autumnali, & aliqua hiemali flores emittere. In super frigidis temporibus, & locis autũmnalibus satio celerior, & verna tardior. Calidis vero serior, verna satio, & autumnalis celerior. In tempore etiam sunt dies, qui faciunt ad oportunitatem, Faciunt & venti. Nam mense Martio, vt dicit Aristoteles, si admissarij æquabus admittũtur, tũc masculi plures nascuntur, quando sicci sunt dies, clari, & flatus boreę spirat. Fęminæ uero generantur, quando austro flante contra eum greges pascuntur.

Architectus etiam anni metitur tempora secundum oportunitatem Ianuarium, enim & Nouembrem obseruat. Atque decrescẽte luna ad cedenda ligna ad fabricam se se accomodat. Mensem Maium decernit ad faciendos lateres. Septembrem destinat ad digerendum pauimenta in solariis. Et Iunium sub die in texendo exercet.

Structor nauium si à quintadecima luna, ad vigesimã arbores, quibus naues cõstruendæ sunt præciderit, illas à carie conseruabit

immu-

immunes, præsertim vbi per æstiuum solstitium fiet vsque ad calendas Ianuarij.

Nautæ, qui lege naturæ aptissimi sunt, obseruant oportunitatem, & securi sulcant mare, à sexto Klēd. Iunij, ad XIII. Klēd. Octobris. Quod si committunt se mari, à III. idus Octobris usque ad idus Martij, nō sine summo capitis discrimine peragunt iter.

Venatores ex præcepto Xenofontis canes æstate agitant vsque ad meridiē. Hieme per totum diem. Autumno vltra meridiem. Verè circa uesperā. Soluit etiam uenator canes, qui vestigando sagacissimi sunt, si frigus fuerit Oriente sole, si calor ante diem. Alijs vero temporibus inter Aurorā, & solis exortū.

Studiosi literarum matutinas horas cōmodissimas eligunt ad compositiones, pro recognitionibus vero ad meridiem, quum sol altissimus est, dummodo sobrij sint, letique præmant quodcunq. factū ab eis, scriptumúe sit. Studiorum vero fructus semper viridis esse debet, dulcis, & decens. Et secundum hanc oportunitatē semper de eo veniæ spes est, & paratus fauor. Nam multum audere secundum oportunitatem nequaquam dedecet. Verum incipientibus studijs debet esse oportuna lucerna, vt plus olei, quam vini cō sumetur. Insuper matutinus somnus euitandus est. Et nocte non portent noctuam, sed imitentur. Hoc siquidem pacto studiosi ha-

bebunt uigilantissimum iuuentutis debitū, quod erit senectuti optima, & secura laborum suorum quies.

Exercitatio similiter corporis secundum opportunitatem uires reddit habiliores, calorem excitat, superuacua digerit, & expellit. Est autem oportuna exercitatio, quando inclinante iam sole exercetur. Hoc siquidem tempore conferentia, & leuitas totius corporis facit oportunitatem: ualidius enim & leuius se mouet corpus, cum cibi concocto iuuatur alimento. Quod si uacuum, seu ieiunum esset, & non haberet unde reficerentur uires, redderetur debile, nec exercitationi esset idoneum: Etenim labor alimentum, & uires unà dissolueret. quare potius esset exercitatio ad laborem, quam ad instauratione̅.

Cœnæ insuper, prandijq́. atque aliarum commessationum hæc est oportunitas. Comedendum est, quod populus, semel, aut bis in die, dũmodo bene concoquatur. Quorum omnium regula describitur ab Hyppocrate per hæc uerba. Non satietas, non fames, neque quicquam quod modum excedit bonum. Igitur ne quid nimis philosophi dictum obseruandum est.

Oratoris etiam munus exigit id temporis, quod secundum oportunitate̅ spectat ad pacem, facit ad bellum, ad festinationem, ad ocium. Atque animaduertit an lætum, uel

triste.

tristæ. An liberum, uel angustum: In quo tunc maxime persuadet, quando non discrepat ab oportunitate.

Quare secundum uniuersum temporis, & occasionis, concludendũ est, quod homo per actus humanos, tunc bene utitur oportunitate, quando rationis particeps cursus rerum cernit, earumque progressus, quasi antecessiones non ignorat; similitudines temporũ, & occasionum præteritarum comparãs præsentibus adiungit, atque annectit futuras. Ita facile suarum actionum cursum uidet iuxta temporis, & occasionis oportunitatem, & ut cõmode ea fruatur preparat res necessarias. Necessaria quidem homini sunt secundum naturam inuentio, & iudicium. Sed secundum exercitationem, & artem necessaria sunt ratio, & experimentum. In quibus omnibus labi, errare, & nescire semper malum, & turpe putandum. Eo, quia natura non deficit in necessariis, & ars non est uacua oportunitate. Quare uel quis natura agat, uel arte exerceatur, semper habet facultatem aliquid faciendi, uel non faciendi secundum oportunitatem, quę à tempore, & ab occasione sumitur, atque procedit.

Oportunitatis facilis, seu difficilis exitus. CAP. V.

CONTINGIT plerumq. ut Oportunitas moueat hominem aut ad iacturam, aut

ad turpitudinem, aut ad honestatem, aut ad decentiam, in quibus unusquisque exerceri conspicitur. Tunc quęcunque electio capitur secundum oportunitatē, illa uidetur esse, quę diiudicat facilem, seu difficilem oportu nitatis exitum, & finem. Exitus quippe faci lis est, quando oportunitas est facilis; Sic & difficilis est, quando aut nullam, aut arduā fert secum oportunitatem. Iam dictum est oportunitatem esse comitem temporis, & oc casionis. Quod si aliquando contingat, ut su matur oportunitas sine occasione, & sine tem pore, hoc quippe fit, aut quia ignoratur, aut quia eiusdem oportunitatis modus nescitur. Iam dictum est, quod oportunitas declarat occasionem, & tempus. Et quod hoc sit uerum, modo manifestabitur per exēpla. Zeno suam linguam mandans in os Dionisij tirāni illam expuit, quod secreta ei nequaquā uellet aperire. Atque ab hac occasione sumpsit oportunitatem facendi. Anaxarchus philosophus in rothæ modum à tiranno Hiocreōte maluit incuruati, quam conscios prædere coniurationis, Igitur in his philosophis quo ad animum fuit facilis exitus occasionis secundum oportunitatem, quia rectum, & ho nestum intelligebant, quod erat nolle prodere eos, qui sub silentio per iuramentum forsitan mortē tyranno inferre cōsuluerant, sed potuit esse difficilis ob corporis afflictionem.

nem. Verum expedit aliquando, ut prę turpibus aspera optentur, in quibus licet sit horrenda occasio, & tempus nō uacet periculo, sunt tamen interdum oportuna ad consequē dam felicitatem. Quapropter magni semper fieri debet oportunitas in humanarum rerū actionibus. Et qu.cunque per eam adiuti aliquid ausi sunt, plerumq. magna ex nihilo fecisse dicuntur. Atque hoc quidem experientia docet, & textantur exempla. Milites, qui cū hostibus singulari certamine dimicaturi sunt, siquid concertando pręter uim, & pręter fortitudinem ad prelium adferunt, uicturi salutantur, nec non uictoria eisdem adscribitur, quando admonitionum memores in conflictum descendunt. Occasio quidē prę lium est, eiusque facilis exitus dinoscitur, quando ex oportunitate admonitionum milites præliantur. Admonitio quidem est uidelicet in singulari certamine, ut annotato aduersarij temperamento ei totis uiribus annitendo repugnetur. Exempli gratia, cōtra eum, cui dominatur bilis. Primo constanter repugnandum. Meta enim ei uires subministrat. Cui dominatur sanguis est cauendum paulo post principium. Flegmatici durant, sed uiribus tarde utuntur, nec comitate præliantur. Quare in omni re agenda, seu non agenda, semper est animaduertendum, ne ulla post assumptā oportunitatem sequatur poena.

pœna. Sequitur autem ilico per errorē, qui in eadem committitur oportunitate. Dicunt periti in re militari. Pluris est in certaminibus oportunitas, quam uirtus. Et ideo plus pœnę sequitur per errorē oportunitatis, quā per defectum concertationis. Ductores exercituum, & ij pręcipue, qui strenui sunt, semper curant, ne ullus unquam locus detur pęnitentiæ. Exempli gratia. Inimicis conuenire uolentibus aditus non est negandus, ne oportunitas amittatur, aut mora eius faciat iacturam, aut difficilliorem reddat bellandi exitum. Agesilaus laudabat illum ducē exercituum, qui pre oculis semper haberet oportunitatis rationem. Phillirides admonebat. Tempus, & occasionem expectandam, atq. eis per oportunitatem obtemperandum. Sapientissimus tales inquit. Nosce tempus, & occasionem, & noli aufugere oportunitatē. Posthumus cōsul in Sicilia, quum ductores Carthaginensium ante castra Romanorū aciē direxissent, uelitatione hostes detinuit. Mox mora fatigatos, inediaq. laborantes, cū in castra se reciperent, aggressus profligauit. Quintus Fabius maximus consulebat nō esse ponēdos rumores ante salutem. Ideo vnus homo cunctando rempublicam restituit. Et unde hęc? Quia sine oportunitate nullū est tempus, & nulla est occasio. Atque ea oportunitas recta est, quæ cum ratione (uti dictū

est)

est) eligitur. Etenim deficiente ratione omnia cum difficultate sequuntur. Cæsar germanos cum eorum duce Ariouisto luna decrescente pugnando uicit. Eo enim tempore impediti falsa religione pugnã detrectauere. Iudæi etiã spretæ religionis obseruantiæ addicti sæpius, ut legitur uicti sunt. Scipio Affricanus in positione castrorum Syphacis, aucupatus est facilem oportunitatem, quam declarauit Lelius orator. Quare incendio bellum confectum legitur. Hannibal ad Cannas pulueris occasione, post meridiẽ usus oportunitate contra Romanos decertando uictoriam consecutus est. Marius aduersus Cymbros sole adiutus uicit. Iugurta inclinante iã sole prelium cum Romanis commisit sumpta occasione ab oportunitate noctis, ut si quid præter spem accidisset, nox esset suis præsidio locorum gnaris. Notant scriptores primũ impetum gallorum temporis diuturnitate esse frangendum: vnde legitur Galli in bellorum congressu sunt plusquam homines, in exitu uero minus quam fœminæ. Germanorum incursibus, & ferocitati non statim obuiam procedendum. Auersus Hispanorum toletantiam, patientia certandum, illorumq. insultanti non est cedendum equiti. Turcharum stridoribus sunt obstruendæ aures, quia armis concertatur, & non clamoribus. Quare ne tedio amplius legentes afficiam in tan-

torum uirorum narratione, & exemplorum explicatione ſuper oportunitate temporis, & occaſionis ponam obicem in hoc, quod non tantum circa res naturales, non naturales, & præter naturam ſpectāda eſt oportunitas, ſed ut dictum eſt in rebus bellicis, in publicis actionibus, in priuatis negócijs, & in iis, quę quiſque ſecum agit, aut cum alio contrahit. Et tandem in omni uitæ parte, ſiue ſtudioſe agatur, ſiue accurate, ſiue momentaneæ, ſiue cum mora, ſemper actiones hominū debent eſſe ita diſpoſitæ, ut ſint alimentū, quo paſcatur oportunitas. Et quando hoc totum fiat, ſemper erit facilis, & cognoſcetur diſſicilis exitus cuiuſcunque oportunitatis.

Oportunitatis certamen cum virtute ex Plutarcho. CAP. VI.

SED an magis tribuendum ſit oportunitati, quam virtuti longa eſſet diſputatione inquirendum. Ero tamen contentus in medium adducere Romanorum imperium, quod tanquā arbiter facile poterit explicare contendentium iudicium. Facinus ſiquidem magnum, & tantam potentiam eiuſdem imperij virtus, & oportunitas parauere. Cuius rei multiplex eſt teſtimonium ad partes, ſecundum quas ferri deberet iudicium. Leue tamen eſt vtriuſque crimina refutare.

Locu-

Locupletatum est igitur imperium terra, mare, cœlo politum, speciosum, admirabile, terrificum factum est. Viros augere, ornare, in gloriam euehere, inopes ad imperia extollere, potentes deponere. Et quid opus est verbis? Manifestum quippe est oportunitatem, & sapientiam res diuersissimas simillimarum rerum effectrices esse. Ideo cui magis addictũ sit tale imperium aut commodissimę virtuti, quæ bona in bonos tanta contulit, aut fidissime oportunitati, quæ tanto tempore dona sua incolumia asseuerauit? Virtus per dispensationem bonum est, sed oportunitas vt instabile, tamen bonum clauo trabi alicui fixari non potest, & figi: nihilhominus Romanum imperium nullo opere afflictauit. Igitur quamuis oportunitas, & virtus inter se pugnare, dissidereque soleant. De tanto nimirum imperij, potentiæque coagmentato fœdere inter eas icto conspirasse, ex compositoq. coeũtes humanarum rerum consumasse ita, vt splendidum factumque redderetur imperium non ab re mihi persuasisse videor. Hoc quippe (vt dixi) fuit imperium Romanum, tanquam libramentum, firmamentumque, quod cæteris normam, & regulam conferre posset imperijs. Forma quidem calor est, & motus, vt vnumquodque visibile, & tractabile fiat. Dissimilitudinem mitigat, accomodat, coagmentat, coniungit, commiscitque

in

in hunc modum, vt Romanum imperium sit, quod solum oportunitatē, & virtutem commiscuisse, & coniugasse credatur. Longum autem esset de agitationibus ad partes ferre sententias, ponereque obicem in ijs, quæ inter se offensiones, & defensiones possent parere, sed quia nullæ inter has partes (iudicio meo) præualent. Error quippe esset incredibilis maxime anniti, ut promulgetur sententia quo ad eiusdem imperij immutatio penitus facta non fiet. Id quod difficile est creditū. Inquit enim Virgilius de Imperio Romano. Imperium sine fine dedi. Quale autem hoc sit imperium, melius est existimare de regno Dei, quam de regno mundi. Et secundum hanc veritatem est intelligendū de Christiana Religione. Cuius summus Pontifex per institutionem à capite Christo modo Romæ esse conspicitur. Quare si cōcordia oportunitatis, & virtutis tot bona sequūtur, quot erunt illa mala, quæ eorum discordia parari queunt? Tereretur tēpus si lites, si repugnantia dissidia eorū recenserentur. Igitur sat sit hoc quod oportunitas sola nullibi est sine querela. Virtus vero semper habet secū comitem veritatem, quæ licet aliquando odio habeatur, nihilominus tanquam inclita semper hominibus dat quietem.

De temporum distinctionibus, & primo de anno solari & Equinoctiali. CAP. VII.

QVONIAM huc vsque more philosophico, & rethorico locuti sumus de tempore, de occasione, & de oportunitate aut per rationes, & experimenta, aut per exempla, & inductiones secundum omnium humanarũ rerum actiones cum parua forsitan legentium satisfactione. Nunc nouum nodum dicendi aggressi, primo supponimus quæcunque dicta sunt maximopere solicitare vnumquemque hominem circa inuestigationem, inquisitionem, & inuentionem oportunitatis, à tempore, & ab occasione. Quod si soliciti esse solent homines, quantò magis esse debent, qui peritiam rei medices totis viribus profitentur. Deindè supponimus temporum distinctiones, à natura veras esse. Sed quomodo ab arte intelligantur, & cognoscantur, hac via, & modo declarandæ sunt.

Est itaque inter distinctiones temporum, annus solaris, & equinoctialis cuius cognitio plurimum potest non tantum in humanarum rerum actionibus, sed in re medica admodum experitur. Est inquam annus solaris, solis reuolutio, quę peractis CCCLXVI. diebus, & vno quadrante completur. Et dicitur

citur solaris circuitus, seu reuolutio, quia ab eodem termino discedente ad eundem reuertitur. Dicitur etiam annus ab an, quod est circum, eo quod mensibus in eo remeantibus quasi circulus ab eodem in idem renouatur. Figura anni apud Aegyptios pingebatur Draco, qui caudam incidentem, & in se reuertentem habebat. Sed annorum sunt diuersa genera. Est enim annus lunaris minor anno solari x i diebus. Annus vero solaris constat duodecim mensibus. Astronomi etiam dicunt, quod singuli planetæ habent annos suos, in quibus perficitur eorum cursus. Nam mars explet cursum suum duobus annis. Iuppiter xi i. Saturnus xxx. Insuper est annus magnus secũdum Aristotelem, quando omnes stellæ redibunt ad proprium, & primum suæ creationis punctum. Et constat, perficiturque xxxvi millibus annorum, vt ipsemet de proprietatibus elementorum notat. Secundum autem Platonicos infra xv milia expletur, sicut refert Macrobius super Cicerone. Cæterum in anno solari sunt quatuor tempora, videlicet, Vernum æstiuum, Autumnale, Hyemale. Et dicuntur tempora eo quod in suis qualitatibus mutuo se se temperant. Dicũtur etiam anni curricula eo quia alterna assiduitate currunt, & nunquam in eodem permanent statu. In his quatuor anni temporibus accidunt duo solstitia,

in æstate vnum, alterum in Hyeme. Similiter cõtingunt duo Aequinoctia. In vere vnũ, & alterum in Autũno. Est autem solstitium maxima inequalitas diei, & noctis. Solstitiũ æstiuum incipit quando sol ingreditur Cancrum. Et fit solstitium Hybernum, quando ingreditur Capricornum. Et dicitur solstitiũ, quasi solis statio, duplici de causa. Vel quia sol in æstate, vel in Hyeme propter longitudinem dierum, aut noctium videtur stare in nostro Emisperio, vel in inferiori. Vel quia in utroq. solstitio quasi stat videlicet in æstiuo non potens magis ad nos accedere. In hyberño vero non potens amplius à ñostro habitabili elongari. Equinoctium autem est maxima equalitas diei artificialis, & noctis, quæ accidit in ingressu solis in Arietem, siue in Libram. Sunt insuper duo Equinoctia. Primum est Vernale, alterum Autumnale. Itaque annus Solaris cõmunis incipit, à Ianuario, & habet terminum in mense Decembri, & est spatium quo sol uoluitur in Emisphetio trigeties sexageties, & uno quadrante, idest horis vj. quæ sunt quarta pars diei naturalis. Iste autem sex horæ non computantur in anno communi, sed colliguntur in anno bisextili. Dicitur bisextus collectio xxiiij. horarum, quæ singulis quatuor annis emittuntur ad perficiendum integrum diem, & hic ânnus uocatur bisextilis. Bisextus etiam

dicitur, quia semper eo anno, quo cōtingit, in mense Februario bis sex. Klendas pronunciamus. Vel dicitur bisextus à bisse momentis collectis: siquidē ex xxx. momentis, quibus sol moratur in quolibet signo ultra xxx. dies: aut ex xxx. trientibus à quibus colligūtur singulis annis sex horæ, euenit, ut singulo quarto anno collectæ sex horæ constituāt diem, qui dicitur bisextilis, ut ait Beda in computo eiusdem anni.

Primum Ver tempus anni. CAP. VIII.

VER est principium anni, cuius initiū innotescit quando sol in prima parte Arietis consistit, per rectam lineam contra septentrionem ascendere incipit, ut dicunt Astronomi. Recta autē linea est, quæ neque septentrioni, neque meridiei stat, sed ab utroque solo æqualiter distat. Dicunt etiā tempus ueris usque in finem geminorū, quātū uidelicet, sol discurrit per tria signa, quorum unumquodque habet suum mensem ad vernum tempus pertinentem. Primus mēsis est Arietis incipiens à xviij. die Martij, usq; in xvij. diem Aprilis. Secundus mensis est Tauri, incipiens à xvij. die Aprilis, usque ad xviij. diem Maij. Tertius mensis est Geminorum incipiens à xviij. die Maij, usque ad xvij. diem Iunij. Est autem uernū tēpus

inter frigidum, & calidum maxime temperatum. A medicis vero dicitur calidum, & humidũ in temperamento, eo quia inter hyemem, & æstatem est medium, & utriusque particeps. In hoc etiam tempore sanguis multiplex fit in corpore animalium, & humores abundant, & ij præcipue, qui ab hyberno frigore compacti sunt. Etenim calore uerneo moueri incipiunt, atque dissolui. Dicitur autem temperatum in suis qualitatibus, quia saluberrimum, & minime mortiferum est. Calido siquidem, & humido natura delectatur. Et uita animalium (ut inquit philosophus) est permansio calidi in humido. Delectatur inquã natura, quia caliditas est causa uitæ, & humiditas est causa nutrimenti, & alimenti. Quapropter non est mirum an in primo uere generetur, & multiplicetur sanguis, cum sit præditus his duabus qualitatibus ad temperamentum, ad corporum nutrimentum, & augumentum. Hinc est, quod pueris, adolescentibus, & naturis bene temperatis est optimum, & aptissimum, cum in eo bene degant, & maxime sint sani. In quo etiam si morbi fieri possint ob ambientis naturam, & ob errata, quæ in uictu contingũt hoc pacto euenire putantur. Dum purgãtur à profundo corporis uitiosi humores ad cutẽ, hos proprios morbos in tali tempore generare solent uidelicet furores, atrabiles, mor

bos comitiales, profluuia ſanguinis, anginas, grauedines, raucedines, lepras, tuſſes, impetigines, vitiligines, puſtulas ulceroſas plurimas, tubercula, articulorum dolores, & ſimilia. Et præcipue euenire ſolent, quando terra diu clauſa, & præfrigore compacta in hoc tempore aperitur & radicum, & herbarum humi latentium patentes eductiones manifeſtantur. Apparent flores. Aues ad garritum, & ad amorem ſolicitantur. Prata uirēt, & arbuſta omnem terrenam ſuperficiem decorant, atque uenuſtant. Quare bene dictū eſt uer à uigore ſeu à uiriditate. Omnia enim uireſcere incipiunt, & uigorem emittunt. Dicunt etiam coloni vernum tempus aptiſsimum eſſe ad agriculturam, & ad laborem, eo quia eſt tempus lætitiæ, & amoris. Ideo philoſophi, & medici dixere. Vernum tempus aptiſsimum eſt ad concipiendum. Et quid an poeta inquit. Riſus Iouis primum ver eſt. Quia omnia lætantur. Et quæcunque in hyeme uidebantur mortua, ſeu marcida, renouantur. Sed in hoc tempore aquæ minus ſalubres ſunt ad bibendum, nam à motis humoribus incraſſantur, ranis, aliisq. uermibus ſemen proijcientibus inficiuntur. Itaque ſi neceſſe eſt eas bibere, expedit etiam, vt prius decoquantur. Etenim per ebullitionem raræ fiunt, nec non leuiores, ſalubrioreſque redduntur.

Aestas anni tempus. CAP. IX.

AEstas tempus anni est calidum, & siccũ. Cuius initium est, quando sol ingreditur signum Cancri. Est siquidem sol in maxima eleuatione supra nos, & iã paulatim incipit descendere usque in finem uirginis. Habet autem æstas tres menses, sicut & ver. Primus mẽsis in signo Cancri à xvij. die Iunij usque ad xviij. Iulij Secundus mẽsis; quãdo sol est in Leone à xviij. Iulij usq; ad xvij. Augusti. Tertius est quando iam in Virginem descendit à xvij. Augusti usque ad xviij. Septembris. Est itaque Aestas tempus calidum & siccum, eo quod sol summa graditur ascensione: opponiturq́ capitibus nostris secundum rectam lineam. Et hinc est, quod fortem cunctis imprimit actionem inferioribus. Dies efficit longiores, & breuiores noctes. Fructus, & flores perducit ad maturitatem. Nam ui caliditatis suę quod superest in fructibus digerit, & quod digestum est ducit ad summum bonitatis. Terram facit rimosam præ nimia humidi consumptione, & prę siccitate aperit, & findit eam. Consumptis enim aqueis partibus, quæ coagmentatæ, & coactæ erant, necesse est, ut pars à parte diuidatur, & primo nascantur rimulæ, deinde scissuræ, & aliquando cauernæ, ubi præ ni-

mia siccitate diducta sit terra. Quamobrem sequitur, ut quando sol in locis palustribus tempore æstiuo consumit aquositatē per exsiccationem, primo terram indurat, & exasperat, deinde aperit eam (ut dictum est) & scindit. Hoc etiam pacto sol partes animaliū prorsus per caloris sui subtilitatem ingrediēs, nec non dissoluens humores subintraneos, sudorem promouet, & emittit, atq. euacuat quod superfluum est, & per insensibilem, sensibilemque transpirationem educit. Propterea q. in tali tempore fit maxima spirituum exalatio, & uitalis humiditatis deperditio, necnō debilitantur uires, & aliquando eneruantur. Hoc inquam tempore excitatur colera, & inflammatur. Apes mellificantes floribus reficiuntur, satianturque. Noctu rores fiunt, ut diurno æstu herbæ, & flores non arescant. Aues sunt canoræ, & ad generādam prolem maxime solicitantur. Principium æstatis utilissimum est pueris, cum in eo optime degāt. Tota æstas senibus confert, non autem alijs naturis ob temperaturæ frigiditatem. Et quāuis in æstate omnes morbi fieri posint. Attamen proprij aut sunt proximi ad tale temperamentum, aut si excesserint in qualitate aliqua excedentes dicuntur, uti sunt febres cōtinuæ, febres ardentes, tertianæ, & aliæ febres plurimæ, Vomitiones, Alui profluuia, Lippitudines, aurium dolores, oris ulcerationes,

tiones, genitalium putredines, sudamina, & huiusinodi.

Autumnus anni tempus. CAP. X.

AVTVMNVS ab augendo dictus est, eo quod in eo fructus, & fruges augeantur, & in horreis cumulantur. Omnes enim totius anni labores colligũtur, & in granarijs deponuntur. Ideo tempus hoc maxime sollicitat homines ad collectiones frugum ab agris, & fructuum ab arboribus Autumnus natura frigidus est, siccus, & inequalis. Siccitate .n. & frigiditate sua frõdes, & folia arent, caduntque. Terram sterilem facit. Et uim germinantem amputat, atque præscindit. Est inquam humoris melancolici generatiuus, & eiusdem initium est, quãdo sol primam partem libræ ingreditur, & est in recta linea, uidelicet in æquinoctio, cum à septentrione, & à meridie æquedistat. Habet insuper hoc tempus tres mẽses proprios. Primus incipit quando sol est in libra à xvij. die Septembris usque ad xviij. diẽ Octobris. Et tũc incipit sol magis declinare in meridiẽ. Secundus mensis est in Scorpione à xviij. die Octobris usque ad xvij. diem Nouembris: Tertius est in Sagittario à xvij. die Nouẽbris usque ad xviij. diem Decembris. Est autem Autumnus in suis qualitatibus oppositus ue

ri.

ri. Ideo maxima ex parte est exitialis. In eius principio senes bene degunt, sed post principium satis se bene habere uidētur qui in media sunt ætate. Tabidis uero malum est, & licet in eo omnes morbi fieri posśint, peculiares tamen, & proprij multi contingunt, qui tales sunt, quales euenire solent, quando eadem die modo calor, & modo fit frigus. Terminantur autem morbi qui in autumno fiūt in uere. Egritudines uero huiusce temporis sunt, febres quartanæ, erraticæ, lienes, aquæ inter cutē: stillicidia urinæ: difficultates intestinorum, & leuitates: coxendici dolores: anhelationes, seu astmata. Ilei, morbi comitiales, furores, atræbiles, & huiusmodi.

Hyems anni tempus. CAP. XI.

HYEMS, ab eundo est dicta, eo quia in tali tempore ire solet sol, uoluiturque in breuiori circulo, quam in æstate. Ideoque breuiores sunt dies, & noctes longiores. Est autem hyemis initium quādo sol est in prima parte Capricorni. Et est finis descensus solis in meridie. Et iam paulatim incipit ascendere contra septentrionem. Habet etiam hyems tres menses. Primus est in capricorno incipiens à xviij. die Decēbris usq. in xvij. diem Ianuarij. Secundus est, quādo sol in aquario est à xvij. die Ianuarij usq. ad

xvij. diem Februarij. Tertius mensis est quãdo sol est in piscibus, & incipit à xvj. die Februarij usque ad xviij. diem Martii. Est autẽ hiems frigida, & humida, & flegmatis generatiua, magis tamen dominatur frigiditas quã humiditas, quia magna fit aeris, & aquæ constrictio, & congelatio propter nimiam solis elongationem, ex qua frigus non modicũ generatur. Atq. hoc pacto est opposita æstati. Nam quæ beneficio æstatis nascuntur, & uiuunt superueniente frigore hyemis quodammodo moriuntur ita, ut eorum uestigia quasi non uidentur. Quare bene inquit philosophus, frigidum non ingreditur opus naturæ idest uitæ. Etenim in hyeme niues & aquarum inundationes multiplices fiũt. Viæ, & semitæ omnes lubricæ, & cœnosæ afficiũtur. Proresitates terræ plusquam in æstate lõge hiant. Corpora secundum superficiẽ poris clausis infrigidantur, & interius partes calidiores redditæ, quum nullam habeant transpirationem aggregantur. Inde est, quod puteorum aquæ, & fontium deriuationes tepidiores fiunt in hyeme, & frigidiores in æstate. Et ratio est, quia calor naturalis fugiens oppositam aeris frigiditatem, interiora petit, & aquarum ductibus sese includit, atque ob cęlat. Quamobrem ob eiusdem caloris præsentiam aquæ puteorum, & fontium non congelantur, sed tepidiores redduntur. Similiter

hyems

hyems aspera homines reddit pigros, & desides ad operandum. Nerui ob frigiditatem contrahuntur, & coartantur ita, vt sæpius mēbra non l[illegible]ntur, clauduntur pori, reuocatur calor naturali, uirtus animalis fit fortior, crescit appetitus, cibi fiunt pleniores, & somni longissimi. Postremo quando hyems excedit suas qualitates generantur multiplices affectiones & egritudines. Nam multi humores ob nullam corporum trāspirationē aggregantur, & calefacti cum nullum habeant exitū, putrefiunt, & corpora populantur. Vtile tamen hoc tempus est iis, qui mediam ætatem habent, quum in eo bene degant. Secus autem alijs naturis. In quo etiam si omnes morbi fieri posśint, illi tamen qui generantur, eiusmodi temperaturæ proximi sunt, videlicet morbi laterales, pulmonis inflammationes, grauedines, raucedines, tusses, dolores pectoris, & capitis, uertigines, apoplexiæ, & huiusmodi.

Temporum anni inconstantia. CAP. XII.

SED anni tempora inconstantia sunt, quę non ordinatim propriam recipiunt temperaturam, cum non feruent secundum aliquid anni constituti ductum, & in eis morbi inconstantes plures, multiplicesque contingunt.

Prima

Prima anni constitutio.

Cum anni tempora sicca sunt (quoniam siccitates sunt salubriores imbribus & minus mortiferæ, etenim dissoluuntur siccitatibus nimiæ humiditates) cōstitutio erit salubrior, quam quę in humida constitutione consistit, & minus mortifera. Erunt autem in ea proprij morbi naturam constitutionis consequētes, febres acutæ tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia vrinæ, difficultates intestinorum.

Secunda anni constitutio.

Cum vero anni tempora humida sunt, tūc erit constitutio humida. Et cum imbres minus salubriores sint siccitatibus, magisq́. mortiferę. Nam per imbres humiditates intra corpus collectæ putrescunt: talis cōstitutio erit morbosa, & magis mortifera, quā sicca. Erūtque in ea proprij morbi, qui talem consequuntur naturam, febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ, anginæ, & huiusmodi.

Tertia anni constitutio

Constitutio aquilonia est frigida, & sicca ab aquilone vento frigido, & sicco, in qua corpora densantur, & bene mobilia, & coloratiora, & melius audientia fiunt. Nonnulla tamen huiuscemodi constitutio incommoda parit. Etenim aluos exsiccat, oculos mordet. Et si pectus dolor aliquis obsederit, dolorem

auget.

auget. Propriosque morbos habet, Tusses, fauces, aluos duros, difficultates vrinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris.

Quarta anni constitutio.

Constitutio austrina est calida, & humida ob austri temperaturam. Et cum multa venti ab austro parturiant incommoda, multi erũt in ea morbi. Auditum enim hebetant, caliginem inducunt, caput grauant, pigritudinem generant, homines dissoluunt, corpora humectant, uertigines faciunt, oculis, atque corporibus difficilem motũ præstant, aluos humidos reddunt.

Quinta anni constitutio.

Constitutio hæc taliter describitur. Cum Ver suam seruauerit temperaturam, atque æstas fuerit verisimilis, multi sudores erunt in febribus.

Sexta anni constitutio.

Et cum in anni temporibus fuerint magnę mutationes, id est multæ alterationes alia post aliam, vel frigoris, vel caloris, humiditatis, siccitatis, aut ventorum, aut horum defectus, potissimum grauabuntur morbi.

Septima anni constitutio.

Atque quum hyems sicca, & aquilonia fuerit, Ver autem pluuiosum, & australe, morbi multi fiũt, æstas febres acutæ, lippitudines, difficultates intestinorũ, præcipue mulieribus, & viris, q natura sunt humidiores.

Octaua

Octaua anni constitutio.

Cum vero hyems fuerit australis, & pluuiosa, & serena. Ver autem siccum, & aquilonium, morbi particulares aliquibus erunt. Nam mulieres, quibus partus ad ver ineft ex quacunque occasione abortiunt. Quæ vero parient imbecilles & morbidos infantes partui dabunt. Cæteris difficultates intestinorū, lippitudines siccæ fiunt. Senioribus destillationes quæ cito interiment.

Nona anni constitutio.

Similiter cum æstas sicca fuerit, & aquilonia. Autumnus vero pluuiosus, & australis morbi proprij fient. Dolores capitis, ad hyemē tusses, raucedines, grauedines, tabes quibusdam.

Decima anni constitutio.

Et tandem cum æstas sicca fuerit, & aquilonia. Similiter Autumnus aquilonius, & siccus morbi particulares aliquibus erunt. Aliquibus vero vtilis est. His qui naturam habent humidiorem, & mulieribus confert. Reliquis autem erunt lippitudines siccæ, febres acutæ, grauedines, nonnullis vero atrebiles. Quare breuiora hęc paucis enarrata sufficiant, de anni constitutionibus, quæque omnia (vt facile est videre à sententijs Hyppocratis fuere collecta.

De

De anno Lunari. CAP. XIII.

POSTQVAM de anno solari, de temporibus anni, & de constitutionibus eiusdem dictum est, modo est dicendũ de anno lunari. Dicitur autem annus lunaris quandoque spatium, quo luna reuoluitur, à puncto zodiaci ad punctum, quodque continetur secundum quosdam xxvij. diebus, & horis vj. Quandoque dicitur spatiũ, quo voluitur luna à coniunctione ad coniunctionem, vel ab illuminatione ad illuminationẽ. Et tale spatium superat primum duobus diebus, & horis vj. Est autem luna in cõiunctione siue in coitu, quãdo directe est sub sole ita, vt nulla pars secundum superficiem eius respiciens nos apparet illuminata. Ideo tota videtur quando est lumine plena. Verũ post coniunctionem luna recedit à sole, & relinquit eũ in aliquo puncto zodiaci. Et quando ipsa reuertitur ad idem punctum, ibidem solem non inuenit, quia iam profecit in motu suo. Et hinc est quod luna consumit duos dies, & horas sex antequam solem consequatur, & tale spacium dicitur interlunium, seu latentia lunæ. Dicitur etiam annus lunaris spatium continens duodecim Lunationes, quæ diuiduntur secundum computum per sex pares, & sex impares, prout menses sunt

pares,

pares, vel impares. Par enim lunatio respondet mensi impari. Et pari mensi impar lunatio. Annus igitur lunaris continens xiij. lunationes, continet etiam cccliiij. dies. Nam sexies xxx. & totidem xxix. dies perficiũt tantam summam. Quare patet quod annus solaris communis superat hunc annum lunarem in xj. diebus, qui excessus facit etatem lunæ vagari singulis annis in Klend. mensium. Ita quod in aliquo anno erit prima in Klend. alicuius mensis, & in sequenti erit duodecima. Quandoque etiam dicitur mensis, vel annus lunaris Embolismus. Et est Embolismus excrementum anni solaris ad lunarem. Diciturque ille annus Embolismus, in quo cadit, & colligitur vna lunatio xxx. dierum coacta, seu recollecta ex illis xi. diebus, in quibus superat annus solaris lunarem. Et ideo tertius annus Embolismus est, quia in illo colligitur lunatio xxx. dierum, tribus diebus desuper remanentibus. Ter vero xi. faciunt xxxiij. remanentibus alijs diebus tribus. Similiter octauus annus est Embolismus additis illis sex diebus ad illos xxij. dies, qui ex super computo vij. & viij. anni recolliguntur. Sed ad hoc vt lunatio Embolistica viij. anni sit xxx. dierũ oportet mutare duos dies ex Embolismo subsequenti, & ita procedendum est vsque ad xix. annum quando circulus Embolismi adimpletur continens

annos xij. cōmunes & vij. annos Embolismaticos. Embolismatici sunt videlicet tertius, vj. viij. xj. xiij. xvij. xix. Alij vero sunt cōmunes. Annus autem lunaris in maxima est obseruatione apud hebręos, propter quod legalis dicitur. Eo quod omnes festiuitates legales secundum lunæ cursum, & etatem obseruant. Et incipit, à lunatione Aprilis. Vti hæc omnia habentur, à Venerabili Beda.

Insuper præter annum cōmunē, & legalē est annus Emergens, quando aliquo casu notabili emergente tempus subsequens computatur. Sicut gręci computarunt tempus, à prima Olimpiade. Et Christiani à prima dominica incarnationis. Quare cōtingit, forsitan quod medium anni legalis est principiū emergentis, & econuerso. Quapropter multæ contrarietates non solum in testamēto veteri ad concordiam rediguntur, sed etiam in aliis historiis tolluntur. Et hæc de annorum diuersitate dicta sufficiant.

De mensibus. CAP. XIIII.

Mensis nomen grecū, à luna, quæ mene dicta est, deducitur. Et latinæ, à metior, quasi mensura dierū nuncupatur. legitimi menses apud hebręos minimę numerabantur à cursu solis, sed à motu lunæ. Sed Egyptij propter velocitatem lunæ

secundum

ſecundum curſum, nomen primo menſis ex ſolis curſu inuenere, quoniam tardior ſolis motus, quiſque facilius poteſt comprehendi. Eſt autem triplex menſis videlicet ſolaris, quando ſol peragrans moratur in vno ſigno secundum vſum Martirologij. Lunaris menſis eſt ſpacium quo luna recedit ab vno puncto firmamenti rediens ad idem punctum & continet in ſe dies xxvij. & horas vj. Nam luna moratur per duos dies in quolibet ſigno, & biſſe horas. Ex eo vero quod moratur in quolibet ſigno per duos dies, cum ſint duodecim ſigna, habentur xxiiij. dies. Sed ex eo, quod moratur per vj. horas exeunt tres dies, qui prædictis xxiiij. addicti, ſeu adiuncti faciunt xxvij. Biſſe vero xij. ſpatiũ ſupplent vnius horæ integræ. Ex quo patet, quod luna circuit Zodiacum à puncto ad pũctum per xxvij. dies, & horas ſex. Alio etiã modo ſumitur menſis lunaris pro lunatione, vt patet in anno lunari, de quo ſupra dictum eſt. Continet autem menſis quatuor ſeptimanas, ſeptimana, ſeptem dies naturales. Dies iiij. quadrãtes. Quadrans vj. horas. Hora iiij. puncta. Punctum x. momenta. Momentũ xij. vncias. Vncia xxiiij. athomos. Athomus tandem non diuiditur propter ſui breuitatẽ.

Menses numero duodecim sunt, vt secundum seriem patebit. CAP. XV.

Ianuarius I.

IAnuarius à Iano dictus cui fuit adscriptus; secūdum morem gentiliū, qui credebant Ianum deum, quiq. duplici facie pingebatur ita vt esset principium futuri, & finis preteriti anni: modo dicitur Ianuarius, eo quod sit limes, & ianua anni. Et sic biformis, pingitur vt anni introitus, & exitus demonstretur. Pingitur etiam comedens, & de ciphobibens, quia tunc animalia abundātiorem cibi copiam exigūt, atque requirunt. Ventres eorū calidiores sunt, & viget appetitus. Habet noctes horarum xvj. & dies horarū viij.

Febrarius II.

Februarius à februo, idest Plutone dictus. Et quemadmodum gentiles Ianuariū diis superis sacrarunt, ita Februariū, idest Plutonē diis inferis destinarūt. Mensis pluuiosus est, & aquis plenus ob vaporum eleuationem, quæ in pluuias resoluūtur. Sol in tali mense est in aquario. Pingitur senex ad ignem residens, pedes calefaciens, quique timet frigus ob multam solis elongationem. Minimus est inter menses, habet dies xxviij. in bisexto vero xxix. Hore noctis xiiij. dies vero hore x.

Martius

Martius III.

Martius à Marte Romanæ gentis auctore appellatus, vel quia in hoc tempore animantia mouentur ad coitum procreandæ prolis, habet dies xxxj. nox habet horas xij. dies xij. Adeo quod in hoc mēse est equinoctium veris. Sole inter septentrionem, & meridiem mediam lineam detinente. Quare & in hoc tempore aperiuntur pori terræ, euocantur humores à centro, animalium, herbarum, & arborum ad circumferentiam. Hinc est quod Martius pingitur viniter, seu hortulanus, quia tempus est, vt putentur vites, arbores mundentu r, & hortus custodiatur. Mutatio temporis, & præcipue eiusdem diei instabilis est. Ex qua mutatione sępe morbi cōtingūt. Aquæ sunt minus sanæ ad bibendum, nam à seminibus piscium inficiuntur. Sol in principio huius mensis in medio signo piscium existit.

Aprilis IIII.

Aprilis habet dies xxx. Nox habet horas x. dies vero xiiij. Et dicitur Aprilis ab aperiēdo quia tunc omnia aperiuntur, vti sunt germina flores, herbæ à terra arboribusque. Pingitur iuuenis portans flores, eo quia in hoc tempore terra, arbores, herbæ, frutices & similia decorantur, ac vestiuntur. Vel dicitur Aprilis quasi aphrodilis ab afron, quod est semen. Nam apertis poris terræ red

duntur arua seminibus apta, & agriculturæ commoda. In cuius medio sol ingreditur signum tauri.

Maius V.

Maius à Maia matre Mercurij, vel à maioribus natu, qui Romanam repub. administrabant, vel à madefactione pluuiarum, quia tunc oriũtur pleiades, & hyades, & aliæ stellæ ad pluuias intentæ, ad rores, ad seminum iactorum medefactionem, irrigationemque. habet dies xxxj. Nox horas viij. dies xvj. Est autem hic mensis amenitate plenus, amore, & iucunditate. Etenim voces edunt aues & modulantur homines, & cetera animantia gaudent, & ad bella mouentur. Prata rident, & florent, siluæ & arbusta virent, & frõdet. In medio huius mẽsis sol ingreditur signum geminorum. Et ob temperiem aeris, temporisque amenitatem, omnibus letitia, atque iucũditas geminatur. Pingitur iuuenis equitans, & gestans volucrem super manum.

Iunius VI.

Iunius à iunioribus dictus eo quod populus Romanus in cẽturias iuniorum, & seniorum fuit diuisus, est finis ueris, & principiũ æstatis, habet dies xxx. Nox horas vj. dies xviij. In hoc mense contingit solstitium. In medio intrat sol in cancrum. Atque his diebus calore solis humor in radicibus exsiccatur. Sata segetes tendunt ad maturationem.

Pingiturq.

Pingiturq. secans fena, & falce metens quæ maturuerunt in pratis.

Iulius VII.

Iulius à Iulio Cesare, quia in eo mense ortus est, vel vt alij dicunt Romanum imperiū est adeptus, habet dies xxxj. Nox horas viij. & dies xvj. Aestuosissimus, & calidissimus est. In medio cuius sol esse incipit in Leone habet dies caniculares. Ideo ob nimiam à sole caliditatem ob signum calidum habet excessum, per quem omnes calide intenduntur affectiones. Quare Hyppocrates inquit sub cane, & ante canem medicationes difficiles, segetes etiam ad ultimam maturitatem deductæ radicitus siccātur. Pingitur cum falce segetes secans, nam messoribus datur opportunitas eas secandi, & incidendi.

Augustus VIII.

Augustus ab Augusto Cesare habet dies xxxj. Nox horas x. Et dies xiiij. Fruges colliguntur in horrea. Pingitur cum flagello triturante, denudat terram à frugibus, & eam spoliat à segetibus. In eius medio sol ingreditur signum uirginis. Nam quemadmodum uirgo sterilis est, & infecunda, ita videtur terra fieri cum spoliatur à fructibus suis.

September IX.

September mensis septimus ab imbre, id est à Martio, in quo solet imber terram ad fruges madefacere, & inundare, habet dies

xxx. Nox horas xij. & dies xij. fit equinoctium Autumni. Et in eius mensis medio sol ingreditur libram. Finis est æstatis, principium autumni, in quo maturescit uindemia. Pingitur uindemiator, racemos colligens in cophinos. Mutabile tempus est, instabile, & in eius principio intensus calor, sed in fine remittitur, atque tepescit. Iam frigiditas aduentat autumnalis, & ad ipsam habet aditū, & ingressum. Solemnissimus est mensis apud hebræos. Nam apud eos dies vij. mensis vij. & annus vij. in summa ueneratione habiti sunt.

October X.

October ab imbre octauus, habet dies 31. Nox horas xiiij. dies x. In eius principio calidus est, sed in fine forti frigore corpora pūgit. In cuius medio sol ingreditur scorpionē, qui est uermis facie blandiens, & cauda pungens. Frigidus est, & siccus: ideo terra siccatur & redditur habilis ad seminum susceptionem. Glebæ scinduntur, & aruis sparguntur semina. Pingitur homo seminans, aut semina iactans.

Nouember XI.

Nouēber ab imbre nonus, habet dies xxx. Nox horas xvj. dies uero viij. Hic mensis frigiditate terram penetrat, corpora lędit, fugat calorem. In cuius medio sol intrant sagittarium. Ideo constringit, siccat, & deijcit arborum

borum folia. Animantium poros claudit, & interius collectos humores congelat atq. cõpingit. Quare animalia, & præcipue ſues impinguantur. Pingitur ruſticus quercum percutiens, qui ex glandibus reficit porcos ſuos.

December XII.

December decimus ab imbre, habet dies xxxj. Nox horas xviij. dies vero vj. In hoc menſe eſt ſolſtitium. In cuius medio ſol ingreditur capricornum, ſol longiſsime diſtat, & nulla mora, ſeu incomprehenſibili habita à meridionali circulo reuertitur ad borealẽ. Eſt autem finis autumni, & principium hyemis. Nam hyems ſe ſe extendit uſq. ad xvij. diem Martij à quo uer habet ſuũ principiũ. Verum in hoc mẽſe propter aſperitatem frigorum quieſcunt domeſtica animantia, tarde mouentur, plurimum pinguefiunt, & mactãtur. Pingitur carnifex qui cum ſecuri percutit, & mactat porcum. Igitur ex his duodecim menſibus completur tam ſolaris, quã lunaris annus.

Hebdomada, & dies ipſam conſtituentes.
CAP. XVI.

HEBDOMADA, ſiue ſeptimana à ſeptẽ dierum numero dicta eſt, à cuius replicatione mẽſes, anni, & ſecula peragũtur.

tur: Ab eodem die à quo incipit, in eodem terminatur. Cuius partes sunt dies artificiales, & naturales. Dies dicti sunt à dijs, quorū nomina quibusdā syderibus ab antiquis gentilibus consecrata fuere. Primus enim dies adscriptus est soli, qui princeps est inter sidera, & dominus dictus est planetarum. Et hic dies uocatur dominica à christianis, uel quia in tali die natus est dominus Iesus Christus, uel in eodem die resurrexit à mortuis, atque in hoc die misit de cœlo Spiritum sanctū ad discipulos suos. Secunda dies data est Lunæ quæ Soli in splendore, & magnitudine proxima est. Tertia Marti. Quarta Mercurio, & sic de aliis.

Dierum distinctio vlterior. CAP. XVII.

VERVM inter dies, alius est naturalis, alius artificialis. Dies artificialis est spacium, quo voluitur sol in nostro Emisperio ab oriente in occidentem. Et dicitur artificialis, quia quasi artificio fit diuersus, secundum diuersos climatum situs, & regionum. Naturalis vero dies est spaciū, quo sol voluitur ab oriente per occidentē in orientem, & talis dies continet horas xxiiij. Artificialis autem dies in equinoctio habet horas xij. In alijs vero temporibus maior, & minor est secundum eiusdem incrementum, & decrementum.

crementum. Ideo habet plures, & pauciores horas prout sol ĩ Emispherio crescit, & dec e scit. Similiter dierũ alius nominatur à Klendis, alius ab Idibus, alius à nonis. Klendæ apud antiquos erant ad celebrandum. None ad negociandum, Idus pro recessu à nundinis. Dierum autem naturalium spatium, quo sol voluitur raptu firmamẽti supra totam terram, quodque continetur xxiiij. horis, diuiditur in partes, sunt enim partes. Quadrans, hora, punctum, momentum, vncia, athomus. Quadrans est quarta pars diei, idest horæ vj. Hora est vj. pars quadrantis, & xxiiij. diei naturalis pars. Et dicitur hora finalis, & extrema pars temporis. Punctũ est quarta pars horę. Momentum est decima pars puncti, siue xxxx. pars horę. Et dicitur momentum quasi minimum, atque angustissimum tempus à motu syderum nuncupatum. Vncia dicitur xij pars momẽti. Athomus est xxxxvj. pars vnciæ. Et dicitur athomus quasi sine diuisione, quia vltra athomum nulla datur amplius subdiuisio. Dies igitur est mensium, annorum, & temporum descriptiua, & distinctiua locutio. Omnia siquidem temporum, & seculorum curricula dierum numero cõputantur. Dictum est etiam, quod dies sunt longiores, & breuiores secundum accessum, & recessum solis. Similiter dies per claritatẽ celat superiora sydera. Disgregat colores, &

reddit rerum formas visibiles. Die enim patent, quæ nocte latent. Et quia sui status dies est immutatiuus, ideo modo crescit, & modo decrescit. Fugat insuper somnos, exercitia, & labores offert. Finis diei reficit operarios ob quietem, & studiosos literarū ad studia cō pellit. Partitur etiam dies naturalis in auroram, meridiem, vesperum, & noctem. In aurora partos animales validiores fiunt, egritudines minorantur, leuanturque. Dominatur sanguis vsq. ad tertiam, & imitatur naturam veris. Meridies comparatur æstati. Vespera autumno. Nox hyemi. Et tandem nimia serenitas in aurora cum radiis solaribus directis contra austrum ostendit futuram pluuiam, & tempestatem. Multa de iis essent dicenda, quæ forsitan præter propositi mei intentionem facerent, ideo sub silentio continentur.

Dierum notitia in re medica. CAP. XVIII.

DIES autem in re medica, qui se se offerunt notitiæ eorum qui periti sunt in medicationibus, tali pacto distinguūtur. Alij nanque sunt, qui vocantur Critici, alij indiciarij, alij intercidentes, alij promotiui, alij vacui. Capiuntur autem dies in re medica, vt refert Galenus, pro spatio diei, & noctis. Critici autem sunt, in quibus, vt plurimum fit iudicium aut ad bonum, aut ad malum.

malũ. Indicatiui vero ſunt, qui dant ſignũ, & demonſtrant quid futurũ ſit in die Critica propinquiori, videlicet nũquid futura ſit criſis, quæ bona, quæ mala, quæ velocior, quæ tardior, & qua euacuatione, vel permutatione futura ſit. Dies intercidentes ſunt illi in quibus ſolet cõtingere criſis, ſed per accidẽs, propter fortem cauſam impedientem naturã venire ad criſim in die propria, & agit ipſa quod poteſt abſque dierum ordine. Promotiui dies ſunt illi, in quibus mouentur noxij humores, & virtutem laceſſant, prouocantq́. ad pugnam. Et differunt ab intercidentibus ratione, & non iudicio, vt patet in morbis acutis, in quibus aliquando poſſunt cõtingere intercidẽtes, & non promotiui, ſic ecõtra. Et tandem dies vacui ſunt. i. nec critici, nec indiciarij, nec intercidentes, nec promotiui. Et forſitan dicuntur vacui eo quia in iis nil noui natura tentat aut ob vniuerſalem, aut ob particularem cauſam. Et hi omnes dies in re medica comperti ſunt vt plurimum ſecundum obſeruationem paris, & imparis numeri. Et declarantur per quaternarios, & ſeptenarios numeros. Eſt autem Galeni, & Auicẽnæ intentio vt modo numerentur per dies lunæ, modo per dies ſolis. Etenim numerantur in morbis acutis per dies lunæ, quia humores celerius & natura velocius mouentur. In cronicis vero morbis numerantur per dies ſo

lis post mensem, quia tam humores, quam natura tardius mouentur. De quibus omnibus exempla tradere longum esset, nec faceret ad propositæ intentionis enarrationem. Verum ne sub ambiguo legentes remaneant depinxi omnes dies hoc modo.

Schema.

Septimanę tres.

Primi	Secunda	Tertia
IIII. III.	IIII. III.	III. III.
4	5	6
7	8	9
20	11	12
13	14	15

Quaternarij.

1	2	3	4	5	6
7	8	9	10	11	12
13	14	15	16	17	18
19	20	21	22	23	24
25	26	27	28	29	30

Indicatiui.	Critici.	Indicatiui.	Critici.	Indicatiui.	Critici.
4	2	11	14	17	20
14	7	13	34	37	40
44	47	51	54	57	60
64	67	71	74	77	80
84	87	91	94	97	100

Schema

Schema quidem ostendit dies indicatiuos & criticos secundum numerum trium septimanarum. Attamen est animaduertendum, quod quandoq. indicatiui fiunt critici, quũ leuis est pugna, qua natura solet tentare contra materiam, & tunc potest intendi, & fieri critica dies, propter quod vera redditur sententia Galeni, quod per quaternarium, & septenarium numerũ, videlicet tam per dies pares, quã per dies impares possunt fieri crises. Intercidẽtes autem cadunt inter criticos, & indicatiuos; vt 3. 5. 6. 9. 13. sed præcipui sunt inter hos, 3. &. 5. raro verò 9. Promotiui etiam exempli gratia in febre colerica sunt de tertio in tertium. In melancholica, omnis quarta dies. In flegmatica omnis dies, sanguis non habet idiotrophiam, sed continue æstuat. Et isti dies non coincidunt cum intercidentibus, ut dictum est. Vacui uero dies sunt primus 2. 8. 10. 12. 16. 18. 27. & 6. Possunt autem fieri critici artificiales, & proprie 8. qui optimus est ad euacuationem. Atque hoc quidem faciunt medici, quando natura non mouit in 7. nam uirtus rationabiliter nõ est diminuta, & materia debet esse digesta in acuta egritudine in die 8. Quod si aliquãdo fit à natura de raro contingit, & malum portendit, quia simptomatice euenit, & cũ uirtutis imbecillitate à qua materia secundum ordinem digeri non potest. Hæc autem omnia,

nia, quæ dicta sunt de diebus secundum normam naturæ intelligi debent, quæ ut inquit Aristoteles dirigitur ab intelligentia non errante. Quod si secus hoc idem euenerit ut habeant dies uicissitudines, raro contingere est existimandum. Ars constituta est ex iis, quæ sunt ut in pluribus, & frequenter. Ideo quæ de raro contingunt non est imperiti medici secundum iudicij mutationē, ut propositū mutetur. Attamē animaduertendū est, q̄d inordinationis motus, causæ plures esse possunt. Aut.n.sunt ex parte egritudinis, aut materiei acutæ, vel obtuse, aut ex parte virtutis, aut ex errore medici, aut egri, aut astantium, aut ab exterioribus causis, & accidentibus. Quare maximopere cauendum est ne contingat error. Quique ubi iam contigerit, nō est timendum de natura. Quia nulli dubium est, quod voluntaria non dimittit. Et hinc est, quod ars vires amplius adinuenit, per quas cogit naturam vt indemnis à morbo leuetur. Et Auicenna inquit si medicus non cognoscit egritudinem, expectet, quia natura manifestabit, & tradet ordinem, & modum, quibus id assequetur medicus, quo neque naturam, neque artem infamabit.

Vnde dierum notitia, & causa in medicina. C.XIX.

ORTA quidem est notitia dierum in medicina longa experientia in diuersis regionibus, & à grauissimis in arte peritis

te peritis secundum obseruationem, & hi fuere Hyppocrates, Heraclitus, Diocles, Archigenes, Galenus, Auicenna, Rases, Aliabas, & quamplures alij multa, probataque fide digni. Qui in omnibus operibus suis semper locuti sunt vt medici. Nec altius quærere tētarunt, unde talium dierum orirentur causæ, & principia. Ideo ne in vacuum tendat hic labor, quam assumpsimus, vt inuestigentur. Primum discrepantes inter se in medium adducam, quorum opiniones recensebo. Deinde breuiter manifestabo quæ sit sententia Hyppocratis super notitia causæ, & principij dierū, & quomodo per rationem, & experimentum comprobetur. Et tandem quicquid dixerint alij non refutabo, quatenus, à mente Hyppocratis non discrepet, imo facile forsitan declarabitur an à recta arte Hyppocratica deuiauerint, pro vt ratio, & experimentum dictat, per quæ dierum causę principia, & totius temporis occasionis, & oportunitatis inuestigatio innotescunt.

Sunt itaque nonnulli in arte medica, qui nullam dierū curam gerentes solas vires egrotantium noscendas esse dixere. Etenim plurimum consulendum fatentur quum cibum dandum esse, vt vires super sint, aut non exhibendum oportere. Et ob id medici assistentiam fere idoneam, vt egri corpus nutriat & dimittat omnem aliam sedulitatem, quæ ad

vitium præstantiam non facit, vt pote quæ est ad corporis conseruationem. Sed est ad diminutionem quando corpus non habet vnde pabuletur pro uirium instauratione. Atque hoc pacto omnis dierum sedulitas excluditur.

Alij dixere vanam esse dierum obseruationem, sed necessariam esse accessionum cõputationem. Nam per accessiones facile cognoscuntur morborum constitutiones, secundum viriũ imbecillitatem, & fortitudinem. Vnde est vt facilius rimentur medici, qui cibi, & quando exhibendi sint pro uirium instauratione secundum accessiones, & non secundum dies.

Alij aptem sunt, qui pares, & impares dies in morbis numerant & per paritatem, & imparitatem indicant futuras crises. Potiorem vero summam imparibus, quam paribus diebus tribuunt. Et sic secundum quod pares sunt, & impares, numerant dies nec eis aliter, nec alio modo vllam tribuunt virtutẽ.

Aliqui vero numerant dies per pares, & impares, & hos animaduertunt per maius, vel minus periculum. Quare interdum peiores dies pares sunt, & opportunius exhibetur cibus, quam in imparibus, & ẽ conuerso. Ideo de diebus nullam curam agentes ad solam cibi oportunitatem se referunt.

Aliqui etiam excludunt tempus à medi-

cina, & ex consequenti dies, & roborant eorum dictum super sententia Galeni in secundo de arte parua dicentis. Quantitati, & qualitati medicamentorum pro tertio principio addi non debet tempus. Nam tēpus oportunum non differt à modo. Et licet tempus à modo in aliquo differat. Attamen quia quantitas, & qualitas medicamentorum debent esse secundum modum. Ideo modu; conuertitur cum tempore, quasi Galenus velit dicere. Congrua quantitas; & qualitas remediorum est illa quæ habet modum. Et sic sumitur tēpus pro modo. Igitur si excluditur tēpus, excludūtur dies. Nam si dies sunt in tempore. Et tēpus est modus, modus etiam sunt dies. Atque hoc pacto in re medica nullam habent obseruationem.

Et tandem aliqui sunt qui loco obseruationis dierum, ponunt obseruantiam accessionum, Dicentes, concoctionem materiei manifestare morbi salubritatem, sicut in concoctionem morbi longitudinem. Sed huiusmodi concoctio, & inconcoctio declaratur per accessiones, & non per dies. Igitur dies non subeunt in judicium, vt aliquid in re medica operentur. Eo quia natura concoquit non tempus, neque dies.

Omnes igitur horum omnium medicorū sententiæ, quæ nullam dierum admittunt rationem in re medica orte sunt aut quia in ip-

so morbo dierum ratio sępe mutatur, fitque grauior, qui remissior esse consueuerat. Aut quia nulla notabili ratione notati sunt, quæ ergo solicitudo esse debet, vt exempli gratia, ab vndecimo non ad tertium decimũ, sed ad quartum decimum fiat trãsitus? Insuper quę nam probabilis ratio est, vt à pari ad imparẽ numerum fiat transitus? Est quidem hoc sine proposito, vt à septimo die vndecimus non quartus, sed quintus sit. Quare si ad numerum est respectus nihil rationis sub dierum numero est reperiundum. Sed quam distent à veritate & qui dies in re medica extermi-nant, & qui numero pari, & impari tantum tribuunt secundũ quod numerus est. Et qui secundum accessiones non numerant dies, sed à concoctione morbos iudicant, ostensa prius Galeni opinione, per Hyppocratis sententiam manifestabuntur.

Galenus itaque omnem rationẽ ab astris, cęloque dimanare contendit vt alij morbi paribus, alij vero imparibus diebus salubriter, & insalubriter numerentur, & finiantur. Ideo non numerus, sed potius luna, quæ terrena immutat, author est iudiciorum, sic & motus circuitus eius ad hos numeros venire manifestatur. Prima omnium quæ fiũt principia sunt duo. Vnum quidem, quod ordine, ornatuque semper procedit. Alterum, quod inordinatum vocatur. At procedit inordina-

tum ab hac mundi huius materia. Sed quod ordine progreditur à cęlestibus originem du cit. Cęlestium autem sol veluti rex quispiā maximus est, qui hunc orbem exornat, & concinne disponit, qui & pręsens diem, & absens noctem, & altus æstatem, & humilis hyemem, & mediocriter obliquus vtrūque solstitium efficit. Luna vero vt princeps non mediocris inter solem & nos medius constitutus terrestrem regionem merito gubernat, nonnullosque planetas non potentia, sed vicinitate superans cuiusque mensis dies dispo nit, & ex solis aspectu mutandi facultatem consecuta est. Cum enim suapte natura opaca sit, nouum sortitur lumen, quum sole pri mum fruitur, tanquam eius portio illucescit, quantam sol aspicit. Quapropter suo ad solē accessu, aut recessu varias accipit figuras, vt nunc surgat in cornua, seu falcata sit, nunc equa portione diuisa, nunc gibbosa, nunc plena. Dein iterum gibbosa, equa portione diuisa, surgens, in cornua, seu falcata fit, coi tus tandem sub solis lumine fertur, quæ & silens dici soleti, quod tum tota discuretur, ac lumine vacua fiat. Omnia vero quæ facere nata est. Vbi falcis figuram representat, lā guida fiunt. Inualescunt autem, quum plena fuerit. Surgit vero in cornua, vbi sexagin ta partes abest à sole. Diuisa equa portione quum nonaginta. Gibbosa quum centum &

 uiginti.

viginti. Plena vbi centū, & octoginta. Rursus fit gibbosa, vbi centū & viginti. Diuidua quum nonaginta, surgit in cornua; quum sexaginta. Tandem coit cum sole. Hos autem omnes aspectus vocant astronomi. Sed primus aspectus dicitur sextilis die fere quarto; secundus quadrans, seu quadratus, die septimo. Tertius trinus die vndecimo. Quartus diameter siue oppositio, die decimo quarto. Quintus aspectus conuenit cum tertio, & est in die decimo septimo. Sextus conuenit cum secundo, & est in die vigesimo. Septimus tandem cum primo, & est in die vigesimo quarto. Octauus vero in coniunctione, & contingit in die vigesimo septimo. Ex quibus aspectibus secundum numerum dierū sic dispositis, constituitur annus lunaris, vt supra dictum est, qui constat diebus vicenis septenis, & triente, vel vt alij dicunt quadrante. Quod spatium continet quatuor septimanas, quarum tamen nulla integros septem dies habet, sed vnicuique quatuor desunt horæ, hoc est sextans diei. Singulę itaq. senos dies cum horis viginti continent. Qua quidem ratione, tres septimanæ pariunt dies viginti cum horis duodecim, nec vigesimam primam attingunt. Quapropter indicatio in vigesimum, qui est tertiæ septimanę postremus, incidet. Pari modo quatuor septimanæ faciunt dies viginti septem cum horis octo,

nec

nec vigesimum octauum diem attingunt, atque hoc quoque nomine iudicatio deriuetur in vigesimum septimum, qui quartæ septimanæ postremus est. Atque hoc pacto per cursum lunarem Galenus rationem dierum in re medica obseruat, & experientia comprobat, nec non certam esse perpendit, atque cõconfirmat.

Sed in tantorum virorum inuentionibus, & iudicijs dubium quidem est, quo nam pacto Hyppocratis sententia saluari possit: qui tantam habuit curam dierum, ut nullo pacto morborũ afflictiones ẽnumerare posse uideatur, quin dierum ordinẽ obseruet, in quibus egri melius, deteriusq. se haberi potuerint. Quare si obseruatio dierũ nulla est, & in re medica nihil ualet; cur librum prognosticorum conscripsit, in cuius lectione non solũ medicum potentem facit, sed diuinum, quã do secundum dierum numerum præmeditatur, & præuidet egritudinum accesșiones, cõstitutionesq. non terminat iudicium ad mortem, seu ad salutem. Nonne tempus secundum magnitudinem comitatur substãtiam? Quantitatem sequitur secundum numerũ? Qualitatem ostendit secundum actionem? Et quum de se non habet notitiam; facit ut alia per ipsum innotescant? Igitur si tempus facit hoc, faciunt etiam dies in tẽpore. Quare non immerito quod probatum est ab Hyp

pocrate experientia, probari etiam potest ratione. Experientia dicit dierum obseruationem in re medica necessariam esse, adhoc ut prohibeatur non rectus usus medendi, & admittatur rectus. Ratio vero dictat dierũ caussam, ut in re medica cognoscatur, non esse dierum naturam, non cęli motum, non numerum, non fictitios illos amicitiæ, uel inimicitiæ astrorum conuenientium, & disconuenientium aspectus, non immaginarios angulos in figura zodiaci. Quoniam secundum horum omnium cognitionem ars medica est & infirma, & quamplurimi in ea errores cõtingerent. Admittit autem ratio cum Hyppocrate, & cum Aristotele mundum hunc inferiorem à superioribus lationibus gubernari, regique necnon foueri motu, & lumine secundum uirtutem, quæ in aliis quidẽ clarior, in aliis uero obscurior elucescit, sic & admittit ratio, & experimentum, ut minora à maioribus regantur, & ordinem, & modum superiorum assequantur, ni per identitatem, saltim per imitationem. Tertio admittit ratio ut existentia à propria forma habeant proprias actiones secundum tempus, & ordinẽ. Nonne suo tempore fit generatio, fętus gestatio, partus emissio, uocis elocutio, ortus, & mutatio dentium, & ea omnia, quæ à natura eueniunt? Nunquid sunt in caussa ut talia fiãt aspectus prodigiosorum angulorum, aut lu-

næ claritas, seu deformitas? Est uerum quod hæc inferiora à superioribus habent facultatem, quæ facultas clarescit per stata tempora, & in temporibus elucescit & recipitur secũdum merita materiei, sed quis declarat natu ræ uoluntatem nisi sensus? dubitat itaq. sensus vnde est, quod homini, ceruo, cornici tribuit esse, & uiuere, tantum, quantum non tribuit equo, & boui? Quare tot mensibus utero geritur homo, ut puta septimo, uel nono. Bos uero, & equus per annum. Canis duobus mensibus. Vrsa mense uno. Nota quidem hæc omnia naturæ sunt. Et uoluntaria non dimittit, sed certa ratio assignari non ualet, nisi forsitan ea, quæ à sensu deduci potest. Dictum est supra, quod superiora agũt in hæc inferiora motu, & lumine. Et sensus est, qui facit iudicium per experimentum. Similiter per oppositiones, & coniunctiones astronomi fabulantur amicitiam, & inimicitiam siderum, & sensus diiudicat. Etiam philosophi probãt spirituum eternitatem in particularibus secundum ordinem, & motũ, & eorum probatio est per sensum, & tandem medici rationales per sensum manifestant egritudines, quæ lædũt naturam. Quorum ęgritudinũ manifestatio nulla esset, ubi per proprios motus naturales non innotescere t. Et hoc est unum principium in re medica, ut quisque peritus primo cognoscat na-

turam, deinde motus eius, & ponat naturam voluntaria non dimittere, sed ordine, & modo suam semper manifestare operationē. At quia operatio fit in tempore, & in tempore sunt dies, ideo & tempus, & dies sunt cognoscēdi. Quomodo autem dies per sensum ab Hyppocrate diiudicentur, inferius declarabitur. Posset quis dicere medicus tantum cognoscit egritudines, quę nón habent ordinē, tempus, neq. modū, nam semper de se naturā destruūt. Quid refert ēt cognoscere dies? Respondetur qđ egritudo cū sit res præter naturā non habet ordinem, tēpus, & modum quæ proueniunt à natura, nā ei contraria est. Sed subiacet imperio naturæ dum natura potest. Ideo inquit Hyppocrates, dum potest natura, non est infamanda. Imo semper manifestat, vt medicina vires amplius acquirat, per quas natura ipsa coacta indemnis à morbo letatur. Igitur si natura manifestat egritudines, et si dat vires medicinę, nōne dat ut ordine, tēpore, & modo hę vires exerceantur. Et quid est hęc exercitatio nisi cognitio temporis, ordinis, & modi in medela? Quare sensus est qui omnia principia in re medica cognoscit. Ponit enim principium quantitatis, & qualitatis. De tempore autem cum quo sit ordo, modus, & in tempore occasio talis positio est vt sine tēpore, & sine diebus computatis in tempore, aut nulla aut pauca sit futu-

ra cuiuscunq. afflictionis humanę cognitio, & medela. Dicimus quod medicina habet ita tuta principia, ita dicendum est, quod habet fixa tempora videlicet egritudines secundū esse, & durationem. Insuper egritudinum diuersitates sumuntur à motu humorum, igitur, & à tempore, & in tempore, à diebus. Sumunt etiam egritudines diuersitatem à viribus à facultatibus, ab ętate, à situ, à loco, à regione, sic & à tempore, & à dierum numeratione. Etenim mutantur in tempore egritudines eo modo, quo venti mutant tempora. Itaque dierum cognitio in re medica non est minimi facienda. Et qui eam exprobant aut cadunt in errorē Empiricorum qui excludūt tempus, aut in methodicorum fallaciam, qui admittentes tempus ipsum tamquam quid inane cognoscunt, & obliuiscuntur. Rationales vero medici super exemplo Galeni posito de motu fetus ponunt obicem dubitationis affirmantes magnifaciendā esse cognitionem dierum. Quod exemplum est, si fętus in vtero conceptus mouetur septima die à conceptione, pariet mulier in septimo mēse si in nono die incipiet moueri; pariet nono mense, si in 8. die, pariet octauo mense, & fiet aborsus. Quare hi motus naturales solūmodo per dies, & per menses intelligūtur, in quibus opus naturę saluari, & perdi videtur. Similiter agricultores, vt supra dictū est sine

vsu, & notitia astrologiæ, sed per signa naturalia ducti prædicant quid in quarta, & quid in septima, & quid incrastinum futurũ sit de mutatione temporum. Quapropter cũ hęc signa naturalia per dies experiantur, & obseruentur, & aliquid dicunt, & significãt. Etiam aliquid dicere, & significare necesse est diei. Ponunt quidem indefinitatem, & incertitudinem forsitan ut numeri sũnt, sed quia in re medica notantur ut aliquid dicãt, & significent, ideo à medicina non sunt explodendi. Quod si aliquando ab iisdem contingit perplexitas aliqua seu incertitudo, nõ est infamanda natura, sed materia, medicus, asſidentes, exteriora. Nam dum nimis anxie quæritur propter quid: tunc in medicationibus faciunt impedimentum ob quod natura infamatur, signa, non ostendit naturalia, & dies inuertuntur, ita ut simptomaticæ operetur id, quod decenter per dies suos manifestare debuisset. Habet Hyppocrates tale aphorismum, quæ relinquuntur in morbis post iudicium, recidiuas facere consueuere. Et recidiui morbi à diebus paribus sunt, ab imparibus uero nulli recidiui, ut patebit inferius.

Iam manifestum est quod natura operatur per motus suos, in motu est tempus, in tempore sunt dies, & dies sunt illi, qui manifestant motus naturæ, sed quid operatur dies in tempore, per hoc exemplum declarari potest.

test. A natura siquidem fit arbor, folia, & fructus, natura intelligit fructus ob sui conseruationem à foliis autem habet decētiam, & defensionem. Similiter à natura oritur motus à motu tempus, à tempore dies, intelligit natura rerum conseruationem, sed esse non potest nisi per motum, tempus, & dies. Igitur dies sunt non defensio naturæ, sed signa decentia, per quæ ægritudo, & sanitas ipsius insinuatur. Et ob id secundum dies ordo, modus, & opportunitas aliquid faciendi & non faciendi à peritis in arte medica sumuntur. Et qui secus agunt uiolenter agunt, nulla supra dictorum habita distinctione. At forsitan facessit dubium diuersa locutio dierum, quæ diuersis in locis ab eodem Hyppocrate describitur, ut patet in epidemiis, in pronosticis, in aphorisinis. Nam modo uigesimam, modo uigesimam primam diem iudiciariam facit. Insuper modo pares, modo impares dies commendat. In aphorismo trigesimosexto, quartæ partis tacuit quartam diem, de qua millies alibi fecit mentionem. Omnes quaterniones obseruandos cēset, & multis in locis de criticis diebus perplexe locutus est. Igitur aut nulla est firma dierum obseruatio, aut si qua est, illa quidē dubia uidetur, & anceps. Posset quidem ista uerborum diuersitas ab Hyppocrate conscripta facere nonnullos nomine tantum per

medicos dubios, & ancipites ita ut parũ con fidunt in dierum obseruatione, sed qui periti sunt in re Hyppocratica aliter sentiunt, dicentes tam in acutis, quam in longis morbis sine dierum obseruatione nulla est determinata vnitas mortis, aut salutis. Et tota huiusce propositi veritas firmatur super enarratis ab eodem Hyppocrate in quarto de morbis, pro quorum euidenti notitia hucusque productus est tantus sermo, & non sine causa. Etenim quum multi sunt qui ob diuersitatem locorum conscriptorum ab Hyppocrate allucinentur, & credant se illius mentem habere, & non habent, forsitan per hãc enarrationem intelligent, vnde sit orta causa, ob quã bonus senex tanti faciat dies, & cur per pares, & impares sequatur ea notitia à qua res medica habet vires, & adiumentum ad operationes. Est itaque magni magistri sententia. In tempore est occasio, occasio in qua tempus non multum. Medela tempore, & occasione cõtingit in quibus verbis duplici modo medela intelligitur, videlicet aut in occasione, & hæc præceps est, & declaratur in aphorismo. Medicari eodem die si materia turget, tardare malum, aut in tempore, ut cõcocta medicari, ut mouere nõ cruda. Et inter hos duos modos medelæ notat Hyppocrates, quod plurima non turgeat, idest plures morbi non sunt medicandi per occasionẽ, sed per

tempus.

tempus. Quare ut supra probatum est in tempore sunt dies, sic & medela per dies fieri debet. Insuper inter dies sunt aliqui pares, & aliqui impares secundum numerum, sic & medela hos sequi debet. Contingere etiam potest per indicationem, & per iudiciũ, per indicationem in diebus paribus, per iudiciũ in diebus imparibus. Differunt autem iudicium ab indicatione in hoc, quod iudicium se tenet ex parte morbi, iudicatio uero ex parte naturæ. Similiter indicatio dicit nutrimentum, & excretionem. Iudicium vero notat humorum generationẽ, & expulsionem. Quare ex intẽtio e magni senis indicatio fit semper in diebus paribus, Iudicium uero ut plurimum in diebus imparibus cõtingere solet. Quę omnia licet ab Hyppocrate deducta sint, attamen ne perplexitate aliquam faciãt, in animo legẽtium hoc pacto declarãda sunt. In omni medicina primas partes obtinet victus ratio sine qua corpus humanum nec refici, & viuere haud quaquam potest, & cum qua non solum salubritatem habet, sed à morbo recuperationem. In sano igitur corpore quo ad cibum capiendum obseruatur, vt in quo die cibus sumitur, eodem die non egeritur. Aliter continua indigeret corpus cibi cõmissione. Quare non prima die iuxta rationis propositum egeritur, sed secunda, & egestio est ad proportionem. Tertia autem die

quicquid cibi remāſit in corpore, fit humor. Et ſic cibus habet duos dies, humor vero habet diem vnum. Quod ſi tertia die, in qua humor habet vnum diem, idem humor e corpore egrederetur, imbecillum fieret, nec frueretur ſanitate. Etenim par eſt ratio humoris, & cibi. Quare dies cibi ſunt pares, & dies humoris ſunt impares. Et quamquā corpus continue reficiatur cibo, & humore & idem cibus, & humor ſecundum ſuos dies egerātur, hi tamen dies ſecundum factum numerum ſunt pares, & impares, veluti oſtenſum eſt. Quare dierum cauſa, & principium ſumuntur à corpore vel ſano, vel egro, ſecundum cibos, & humores dummodo natura quæ mouetur à principio interiori habeat motum, & tempus; & cum tempore, dies ſecundum ordinem, & non ſit taliter impedita, ut turgēte materia obumbretur. Dictum eſt hucuſq; de primo, ſecundo, & tertio die, modo eſt dicendum de quarto. Inquit Hyppocrates, ſi uſque in quartam diem cibus non eſt egeſtus à corpore, offendit ipſum, q̄a male olet, & ex mala olentia fit morbus, qui ſumit naturam à quantitate, & à qualitate cibi retenta. Quæque ſi pauca eſt, paruus eſt morbus, ſin multa, grandis efficitur. Quare ſecūdum proportionem quanti, & qualis cibi, longius tempus, & breuius, ſic & plures, aut pauciores dies morbus ipſe perdurat. Et quod di-

ctum est de cibo intelligi etiam debet de humore. Nam Hyppocratis regula intelligenda est uniuersaliter de cibis, & de humoribus tũ in corporibus ęgris, quum in sanis iuxta ordinem, tempus, & motum, quæ omnia à cõputatione dierum dinumerantur. Dictum autem est supra, quod horum omnium notitia modo est à natura, & modo ab arte. A natura cognoscuntur secundum necessitatem. Et ab arte secundum modum. Naturæ necessitas semper præ se fert facultatem sanandi, debilitandi, & occidendi, sed artis modus respicit cibum, & humorem, quibus sanatur corpus, debilitatur, & occiditur. Et ideo quando natura sanat habet cibum, & humorem sanum, quando debilitat, habet inconuenientem cibum, & humorem, sed quando occidit, agit per accidens id, quod per se efficere nequit. Atque hoc simili pacto contingit in arte. Etenim cibum eligit ut instauretur corpus, debilitatur, quando non est conueniens. Et moritur, quando præter rationem ingestus est. Quare dici potest, quod eadẽ necessitas quæ cogit naturam, cogat etiam artem ad cognoscendum quicquid operatur in corpore, motus, tempus, dies, ordo, modus, & oportunitas. Quod si hæc omnia admittit natura, ars etiam quę est altera natura ni per identitatem saltem per imitationẽ, admittere debet. Sed video tamquam, e specula aliquos dicentes.

Conceduntur dies, qui negari non possunt. Et secundum Hyppocratem cōceditur prima septimana: secunda uero quomodo saluatur per pares, & impares dies? Respondetur facile esse hoc enunciare, vbi mens, & intentio docti senis intelligatur. Hic est ille medicus, qui nihil unquā dixit sine forti ratione, proptereaque quicunque altius inuestigat suorū verborum intellectus, animaduertit, quod quando loquitur de diebus medicis, eorum notitia, & numerus est secundum distinctam septimanam; & vnaquæque septimana ex septem constat diebus, qui numerus continet pares, & impares dies, prout ternarij, & quaternarij complent ipsam. Distinxit autem septimanam, à septimana non per dies, sed per dierum numerum. Dies indefinitæ possunt numerari, sed septimana solummodo (ut dictum est) habet septem dies. Et ratio septimanæ sumitur non solum à natura, quæ ut dicit Hyppocrates dat homini uitam in septē diebus, & septenario numero multas tradit ei vtilitates ad conseruationem, sed etiam sumitur ratio à morbis. Nam teste eodem Hyppocrate, inter morbos alij sunt peracuti, qui septē diebus iudicantur, alij acuti, qui quatuordecim, & alij longi, & chronici, qui quadraginta, seu maiorem numerum dierū sequuntur. Itaque prima septimana est illa, à qua cęteræ septimanæ numerum dierum septem

nanci-

nancifcuntur. Et præter primam, aliæ non cõputantur fecundum ordinem dierum pofitorum in numero, ut eft octauus, nonus, decimus, & alij, fed uerbi gratia, octauus eft primus, nonus fecundus, & fic de alijs. Et quod dicitur de fecunda, intelligitur etiam de tertia, & de quarta feptimana. Atque hoc fecit Hyppocrates, ut medicus femper habeat refpectum ad naturam, ad cibum, & ad humores, qui ĩ feptimana per pares & impares dies fecundum motum innotefcunt. Igitur quãdo de fecunda, & de tertiá feptimana dubitatur, dubitatio nulla eft fi uerba mea recto fenfu percipiantur. De prima feptimana nullũ eft dubium, fed de fecuuda quæritur. Dies undecima, quæ eft indicatiua quartadecimæ eft dies impar, ergo eft dies humoris, & non cibi. Similiter dies quartadecima eft dies par, ergo eft dies cibi. Similiter dies tertiadecima eft impar, quomodo ex fuppofitione facta nõ eft dies humoris? Dictum quidem eft dies feptem componere feptimanam, & per feptimanam iudicari morbum. Modo fi computẽtur dies primæ feptimanæ, fecundæ, tertiæ, & nõ fecundum ordinem dierum pofitorum in numero, fed fecundum conftitutionẽ primæ, fecundæ, & tertiæ feptimanæ, facile cognofcetur, quod in fecunda feptimana undecima dies eft quarta dies fecundæ feptimanę, tertiadecimá, fexta, & quartadecima erit fe-

ptima, in quibus diebus ſecundum parem, & imparem numerum indicantur & iudicantur motus naturæ, cibi, humoris, & morbi. Quare ſecundum hanc ſupputationem uigeſima eſt ſeptima tertiæ ſeptimanæ, quarta erit decimaſeptima. Et quartadecima erit prima dies, à qua tertia incipit ſeptimana. Igitur ſi prima dies, & ſecunda ſunt cibi, & tertia humoris, ſic ſecundum cibos, & humores pares, & impares dies ſunt cognoſcendi. Cibus aſcēdit uſque ad quartum diem ut morbū faciat, nam quarta die male olet. Et humor ad tertiū, ut corpus lędat, ſi habet exceſſum. Ex quatuor, & tribus diebus numero ſeptem, fit ſeptimana, quam conſtituit Hyppocrates primam, quæ eſt regula cæterarum ſeptimanarum. Dubitatur etiam ſi quartadecima eſt ſeptima ſecundę ſeptimanæ & in ea fit iudiciū, quemadmodum contingit in ſeptima primæ. Quomodo dicitur eſſe principium tertiæ. Reſpondetur, quod una, & eadem res diuerſimode cōſiderata plures poteſt habere reſpectus; Ideo non eſt inconueniens ut ille dies qui eſt cibi poſsit eſſe humoris, nam continue mutatur corpus, & continue reficitur. Quare notitia quartadecimę diei reſpectū morbi acuti dicit terminum, ſed reſpectu morbi longi dicit initium. Itaque ſecundum diuerſas habitudines quando eſt impar facit iudicium in humore, ſed quando eſt par reſpicit cibum tāquam

prima dies in tertia ſeptimana.

Conſtituta ſeptimana in re medica per ſeptem dies, uidendum eſt an inter ſe differant præterquam quod pares, & impares dicãtur, & ſint. Hyppocrates huic ambiguitati reſpõdet. Inter dies alij ſunt indicatiui, alij iudiciarij, de cæteris diebus ſupra nominatis nullum facit nomen, ſed credo illos eſſe cõmentitios, & ad placitum medicorum inuentos, licet aliquali apparente ratione ità appellari poſſint. Indicatiui ut plurimum ſe tenent ex parte naturæ, & indicant fortitudinem, & debilitatem illius aut ad cibum concoquẽdum, aut ad humorem generandum. Inſuper & indicant futurum iudicium aut in bonum, aut in malum ſubſequẽdum, iudiciarij uero quia maiori ex parte pendent ab humoribus uincente, aut non uincente natura, ideo iudicãt quicquid de corpore ſano, aut egro futurum ſit. Quare bene inqt Hyppocrates, ſicut quarta eſt indicatiua ſeptimæ, ita undecima eſt indicatiua quartędecimæ, & decimaſeptima eſt indicatiua uigeſimę. Et uocauit quaterniones iudiciarios, & non criticos, quia critici dicunt exitum humorum, iudiciarij vero indicant fecum, ſeu cibi egeſtionem. Iudicat tandem Hyppocrates hos dies in re medica tali pacto dicens. Et multotiens cognoui, qui ſecundum morem antiquorum medicorum in diebus paribus euacuati ſunt, & nullum

 detrimen-

turam, deinde motus eius, & ponat naturam voluntaria non dimittere, sed ordine, & modo suam semper manifestare operationē. At quia operatio fit in tempore, & in tempore sunt dies, ideo & tempus, & dies sunt cognoscēdi. Quomodo autem dies per sensum ab Hyppocrate diiudicentur, inferius declarabitur. Posset quis dicere medicus tantum cognoscit egritudines, quę non habent ordinē, tempus, neq. modū, nam semper de se naturā destruūt. Quid refert ēt cognoscere dies? Respondetur qđ egritudo cū sit res præter naturā non habet ordinem, tēpus, & modum, quæ proueniunt à natura, nā ei contraria est. Sed subiacet imperio naturæ dum natura potest. Ideo inquit Hyppocrates, dum potest natura, non est infamanda. Imo semper manifestat, vt medicina vires amplius acquirat, per quas natura ipsa coacta indemnis à morbo le natur. Igitur si natura manifestat egritudines, et si dat vires medicinę, nōne dat ut ordine, tēpore, & modo hę vires exerceantur. Et quid est hęc exercitatio nisi cognitio temporis, ordinis, & modi in medela? Quare sensus est qui omnia principia in re medica cognoscit. Ponit enim principium quantitatis, & qualitatis. De tempore autem cum quo sit ordo, modus, & in tempore occasio talis positio est vt sine tēpore, & sine diebus computatis in tempore, aut nulla aut pauca sit futu-

ra cuiuscunq. afflictionis humanę cognitio, & medela. Dicimus quod medicina habet ita tuta principia, ita dicendum est, quod habet fixa tempora videlicet egritudines secundũ esse, & durationem. Insuper egritudinum diuersitates sumuntur à motu humorum, igitur, & à tempore, & in tempore, à diebus. Sumunt etiam egritudines diuersitatem à viribus à facultatibus, ab ętate, à situ, à loco, à regione, sic & à tempore, & à dierum numeratione. Etenim mutantur in tempore egritudines eo modo, quo venti mutant tempora. Itaque dierum cognitio in re medica non est minimi facienda. Et qui eam exprobant aut cadunt in errorẽ Empiricorum qui excludũt tempus, aut in methodicorum fallaciam, qui admittentes tempus ipsum tamquam quid inane cognoscunt, & obliuiscuntur. Rationales vero medici super exemplo Galeni posito de motu fetus ponunt obicem dubitationis affirmantes magnifaciendã esse cognitionem dierum. Quod exemplum est, si fętus in vtero conceptus mouetur septima die à conceptione, pariet mulier in septimo mẽse si in nono die incipiet moueri; pariet nono mense, si in 8. die, pariet octauo mense, & fiet aborsus. Quare hi motus naturales solũ modo per dies, & per menses intelligũtur, in quibus opus naturę saluari, & perdi videtur. Similiter agricultores, vt supra dictũ est sine

vſu, & notitia aſtrologiæ, ſed per ſigna na-turalia ducti prædicant quid in quarta, & quid in ſeptima, & quid incraſtinum futurũ ſit de mutatione temporum. Quapropter cũ hęc ſigna naturalia per dies experiantur, & obſeruentur, & aliquid dicunt, & ſignificãt. Etiam aliquid dicere, & ſignificare neceſſe eſt diei. Ponunt quidem indefinitatem, & incertitudinem forſitan ut numeri ſunt, ſed quia in re medica notantur ut aliquid dicãt, & ſignificent, ideo à medicina non ſunt ex-plodendi. Quod ſi aliquando ab iiſdem con tingit perplexitas aliqua ſeu incertitudo, nõ eſt infamanda natura, ſed materia, medicus, aſsidentes, exteriora. Nam dum nimis anxie quæritur propter quid: tunc in medicationi-bus faciunt impedimentum ob quod natura infamatur, ſigna, non oſtendit naturalia, & dies inuertuntur, ita ut ſimptomaticæ opere tur id, quod decenter per dies ſuos manife-ſtare debuiſſet. Habet Hyppocrates tale apho riſmum, quæ relinquuntur in morbis poſt iu dicium, recidiuas facere conſueuere. Et reci diui morbi à diebus paribus ſunt, ab impari bus uero nulli recidiui, ut patebit inferius.

Iam manifeſtum eſt quod natura operatur per motus ſuos, in motu eſt tempus, in tem-pore ſunt dies, & dies ſunt illi, qui manife-ſtant motus naturæ, ſed quid operatur dies in tempore, per hoc exemplum declarari po-teſt.

test. A natura siquidem fit arbor, folia, & fructus, natura intelligit fructus ob sui conseruationem à foliis autem habet decētiam, & defensionem. Similiter à natura oritur motus à motu tempus, à tempore dies, intelligit natura rerum conseruationem, sed esse non potest nisi per motum, tempus, & dies. Igitur dies sunt non defensio naturæ, sed signa decentia, per quæ ægritudo, & sanitas ipsius insinuatur. Et ob id secundum dies ordo, modus, & opportunitas aliquid faciendi & non faciendi à peritis in arte medica sumuntur. Et qui secus agunt uiolenter agunt, nulla supra dictorum habita distinctione. At forsitan facessit dubium diuersa locutio dierum, quæ diuersis in locis ab eodem Hyppocrate describitur, ut patet in epidemiis, in pronosticis, in aphorismis. Nam modo uigesimam, modo uigesimam primam diem iudiciariam facit. Insuper modo pares, modo impares dies commendat. In aphorismo trigesimosexto, quartæ partis tacuit quartam diem, de qua millies alibi fecit mentionem. Omnes quaterniones obseruandos cēset, & multis in locis de criticis diebus perplexe locutus est. Igitur aut nulla est firma dierum obseruatio, aut si qua est, illa quidē dubia uidetur, & anceps. Posset quidem ista uerborum diuersitas ab Hyppocrate conscripta facere nonnullos nomine tantum per

medicos

medicos dubios, & ancipites ita ut parũ con fidunt in dierum obseruatione, sed qui periti sunt in re Hyppocratica aliter sentiunt, dicentes tam in acutis, quam in longis morbis sine dierum obseruatione nulla est determinata vnitas mortis, aut salutis. Et tota huiusce propositi veritas firmatur super enarratis ab eodem Hyppocrate in quarto de morbis, pro quorum euidenti notitia hucusque productus est tantus sermo, & non sine causa. Etenim quum multi sunt qui ob diuersitatem locorum conscriptorum ab Hyppocrate allucinentur, & credant se illius mentem habere, & non habent, forsitan per hãc enarrationem intelligent, vnde sit orta causa, ob quã bonus senex tanti faciat dies, & cur per pares, & impares sequatur ea notitia à qua res medica habet vires, & adiumentum ad operationes. Est itaque magni magistri sententia. In tempore est occasio, occasio in qua tempus non multum. Medela tempore, & occasione cõtingit in quibus verbis duplici modo medela intelligitur, videlicet aut in occasione, & hæc præceps est, & declaratur in aphorismo. Medicari eodem die si materia turget, tardare malum, aut in tempore, ut cõ cocta medicari, ut mouere nõ cruda. Et inter hos duos modos medelæ notat Hyppocrates, quod plurima non turgeat, idest plures morbi non sunt medicandi per occasionẽ, sed per

tempus.

tempus. Quare ut supra probatum est in tempore sunt dies, sic & medela per dies fieri debet. Insuper inter dies sunt aliqui pares, & aliqui impares secundum numerum, sic & medela hos sequi debet. Contingere etiam potest per indicationem, & per iudiciũ, per indicationem in diebus paribus, per iudiciũ in diebus imparibus. Differunt autem iudicium ab indicatione in hoc, quod iudicium se tenet ex parte morbi, iudicatio uero ex parte naturæ. Similiter indicatio dicit nutrimentum, & excretionem. Iudicium vero notat humorum generationẽ, & expulsionem. Quare ex intẽtio|e magni senis indicatio fit semper in diebus paribus. Iudicium uero ut plurimum in diebus imparibus cõtingere solet. Quę omnia licet ab Hyppocrate deducta sint, attamen ne perplexitate aliquam faciãt, in animo legẽtium hoc pacto declarãda sunt.

In omni medicina primas partes obtinet victus ratio sine qua corpus humanum nec refici, & viuere haud quaquam potest, & cum qua non solum salubritatem habet, sed à morbo recuperationem. In sano igitur corpore quo ad cibum capiendum obseruatur, vt in quo die cibus sumitur, eodem die non egeritur. Aliter continua indigeret corpus cibi commissione. Quare non prima die iuxta rationis propositum egeritur, sed secunda, & egestio est ad proportionem. Tertia autem die.

quicquid cibi remāsit in corpore, fit humor. Et sic cibus habet duos dies, humor vero habet diem vnum. Quod si tertia die, in qua humor habet vnum diem, idem humor e corpore egrederetur, imbecillum fieret, nec frueretur sanitate. Etenim par est ratio humoris, & cibi. Quare dies cibi sunt pares, & dies humoris sunt impares. Et quamquā corpus continue reficiatur cibo, & humore & idem cibus, & humor secundum suos dies egerātur, hi tamen dies secundum factum numerum sunt pares, & impares; veluti ostensum est. Quare dierum causa, & principium sumuntur à corpore vel sano; vel egro, secundum cibos, & humores dummodo natura quæ mouetur à principio interiori habeat motum, & tempus; & cum tempore; dies secundum ordinem; & non sit taliter impedita, ut turgēte materia obumbretur. Dictum est hucusq. de primo, secundo; & tertio die, modo est dicendum de quarto. Inquit Hyppocrates, si usque in quartam diem cibus non est egestus à corpore, offendit ipsum; qa male olet, & ex mala olentia fit morbus, qui sumit naturam à quantitate, & à qualitate cibi retenta. Quæque si pauca est, paruus est morbus, sin multa, grandis efficitur. Quare secūdum proportionem quanti, & qualis cibi, longius tempus, & breuius, sic & plures, aut pauciores dies morbus ipse perdurat. Et quod di-

ctum est de cibo intelligi etiam debet de humore. Nam Hyppocratis regula intelligenda est uniuersaliter de cibis, & de humoribus tũ in corporibus ęgris, quum in sanis iuxta ordinem, tempus, & motum, quæ omnia à cõputatione dierum dinumerantur. Dictum autem est supra, quod horum omnium notitia modo est à natura, & modo ab arte. A natura cognoscuntur secundum necessitatem. Et ab arte secundum modum. Naturæ necessitas semper præ se fert facultatem sanandi, debilitandi, & occidendi, sed artis modus respicit cibum, & humorem, quibus sanatur corpus, debilitatur, & occiditur. Et ideo quando natura sanat habet cibum, & humorem sanum, quando debilitat, habet inconuenientem cibum, & humorem, sed quando occidit, agit per accidens id, quod per se efficere nequit. Atque hoc simili pacto contingit in arte. Etenim cibum eligit ut instauretur corpus, debilitatur, quando non est conueniens. Et moritur, quando præter rationem ingestus est. Quare dici potest, quod eadẽ necessitas quæ cogit naturam, cogat etiam artem ad cognoscendum quicquid operatur in corpore, motus, tempus, dies, ordo, modus, & oportunitas. Quod si hæc omnia admittit natura, ars etiam quę est altera natura ni per identitatem saltem per imitationẽ, admittere debet. Sed video tamquam, e specula aliquos dicentes.

Conceduntur dies, qui negari non possunt. Et secundum Hyppocratem cōceditur prima septimana: secunda uero quomodo saluatur per pares, & impares dies? Respondetur facile esse hoc enunciare, vbi mens, & intentio docti senis intelligatur. Hic est ille medicus, qui nihil unquā dixit sine forti ratione, propterea que quicunque altius inuestigat suorū verborum intellectus, animaduertit, quod quando loquitur de diebus medicis, eorum notitia, & numerus est secundum distinctam septimanam, & vnaquæque septimana ex septem constat diebus, qui numerus continet pares, & impares dies, prout ternarij, & quaternarij complent ipsam. Distinxit autem septimanam, à septimana non per dies, sed per dierum numerum. Dies indefinitæ possunt numerari, sed septimana solummodo (ut dictum est) habet septem dies. Et ratio septimanæ sumitur non solum à natura, quæ ut dicit Hyppocrates dat homini uitam in septē diebus, & septenario numero multas tradit ei vtilitates ad conseruationem, sed etiam sumitur ratio à morbis. Nam teste eodem Hyppocrate, inter morbos alij sunt peracuti, qui septē diebus iudicantur, alij acuti, qui quatuordecim; & alij longi, & chronici, qui quadraginta, seu maiorem numerum dierū sequuntur. Itaque prima septimana est illa, à qua cęteræ septimanæ numerum dierum septem

nanciſcuntur. Et præter primam, aliæ non cõputantur ſecundum ordinem dierum poſitorum in numero, ut eſt octauus, nonus, decimus, & alij, ſed uerbi gratia, octauus eſt primus, nonus ſecundus, & ſic de alijs. Et quod dicitur de ſecunda, intelligitur etiam de tertia, & de quarta ſeptimana. Atque hoc fecit Hyppocrates, ut medicus ſemper habeat reſpectum ad naturam, ad cibum, & ad humores, qui ĩ ſeptimana per pares & impares dies ſecundum motum innoteſcunt. Igitur quãdo de ſecunda, & de tertia ſeptimana dubitatur, dubitatio nulla eſt ſi uerba mea recto ſenſu percipiantur. De prima ſeptimana nullũ eſt dubium, ſed de ſecuuda quæritur. Dies undecima, quæ eſt indicatiua quartadecimæ eſt dies impar, ergo eſt dies humoris, & non cibi. Similiter dies quartadecima eſt dies par, ergo eſt dies cibi. Similiter dies tertiadecima eſt impar, quomodo ex ſuppoſitione facta nõ eſt dies humoris? Dictum quidem eſt dies ſeptem componere ſeptimanam, & per ſeptimanam iudicari morbum. Modo ſi computẽtur dies primæ ſeptimanæ, ſecundæ, tertiæ, & nõ ſecundum ordinem dierum poſitorum in numero, ſed ſecundum conſtitutionẽ primæ, ſecundæ, & tertiæ ſeptimanæ, facile cognoſcetur, quod in ſecunda ſeptimana undecima dies eſt quarta dies ſecundæ ſeptimanę, tertiadecimá, ſexta, & quartadecima erit ſe-

ptima, in quibus diebus secundum parem, & imparem numerum indicantur & iudicantur motus naturæ, cibi, humoris, & morbi. Quare secundum hanc supputationem, uigesima est septima tertiæ septimanæ, quarta erit decimaseptima. Et quartadecima erit prima dies, à qua tertia incipit septimana. Igitur si prima dies, & secunda sunt cibi, & tertia humoris, sic secundum cibos, & humores pares, & impares dies sunt cognoscendi. Cibus ascẽdit usque ad quartum diem ut morbũ faciat; nam quarta die male olet. Et humor ad tertiũ, ut corpus lędat, si habet excessum. Ex quatuor, & tribus diebus numero septem, fit septimana, quam constituit Hyppocrates primam, quæ est regula cæterarum septimanarum. Dubitatur etiam si quartadecima est septima secundę septimanæ & in ea fit iudiciũ, quemadmodum contingit in septima primæ. Quomodo dicitur esse principium tertiæ. Respondetur, quod una, & eadem res diuersimode cõsiderata plures potest habere respectus: Ideo non est inconueniens ut ille dies qui est cibi possit esse humoris, nam continue mutatur corpus, & continue reficitur. Quare notitia quartadecimę diei respectu morbi acuti dicit terminum, sed respectu morbi longi dicit initium. Itaque secundum diuersas habitudines quando est impar facit iudicium in humore, sed quando est par respicit cibum tãquam

prima

prima dies in tertia septimana.

Constituta septimana in re medica per septem dies, uidendum est an inter se differant præterquam quod pares, & impares dicãtur, & sint. Hyppocrates huic ambiguitati respõdet. Inter dies alij sunt indicatiui, alij iudiciarij, de cæteris diebus supra nominatis nullum facit nomen, sed credo illos esse cõmentitios, & ad placitum medicorum inuentos, licet aliquali apparente ratione ità appellari possint. Indicatiui ut plurimum se tenent ex parte naturæ, & indicant fortitudinem, & debilitatem illius aut ad cibum concoquẽdum, aut ad humorem generandum. Insuper & indicant futurum iudicium aut in bonum, aut in malum subsequẽdum, iudiciarij uero quia maiori ex parte pendent ab humoribus uincente, aut non uincente natura, ideo iudicãt quicquid de corpore sano, aut egro futurum sit. Quare bene inqt Hyppocrates, sicut quarta est indicatiua septimæ, ita undecima est indicatiua quartędecimæ, & decimaseptima est indicatiua uigesimę. Et uocauit quaterniones iudiciarios, & non criticos, quia critici dicunt exitum humorum, iudiciarij vero indicant fecum, seu cibi egestionem.. Iudicat tandem Hyppocrates hos dies in re medica tali pacto dicens. Et multotiens cognoui, qui secundum morem antiquorum medicorum in diebus paribus euacuati sunt, & nullum

detrimentum sunt passi. Multi vero, quos in diebus imparibus et acuare tentarunt, aut periere, aut in multam calamitatem, afflictionemque incidere, quia humores in egrotis in diebus imparibus magis turbantur. Et sic quod turbatum est, adhuc magis turbetur medicamento, nihil miri est ex talibus hominem perire.

Oppugnantium hyppocraticam ueritatem dilucidatio. CAP. XX.

QVONIAM igitur ex motu cibi & humoris iam apparet quomodo dies numerādi sunt in re medica, & quomodo septimanæ sunt cōponendæ, superest modo manifestare in quo erunt aliæ opiniones per recessum ab hyppocratica intentione, & in quo bene se habeant, ubi ad maiorē eiusdem intentionis faciunt confirmationē, Itaq. illi, qui pęnitus renuūt dies in re medica obseruandos esse, non sunt audiendi, sed tanquam explosi, pro empiricis deputandi sunt vt qui temporum dimensiones non cognoscētes, dies etiam ignorant, & motum. Similiter illi, qui tantum tribuunt numeris secundum par, & impar, ut autumēt illud esse fęlix quod est impar; & illud infęlix quod est par, sunt explodendi. Etenim à nominum numeratione significationem nequaquam poterūt

habere,

habere, quod etiã cum maxima difficultate à virtutibus rerum, proprietatibusque uix attingitur. Et hi sunt, qui artem medicam tribuunt incantationibus, delusionibusq. muliercularum, & obscenorum hominum. Illi autem qui ob morborum mutationes, & ob eorum perplexitates negãt posse fieri dierũ, & septimanarum computationem, quia nulla est certa obseruatio, quæ varietatem non habeat, cõfusam modo ad bonum, modo ad malum, sunt reiciendi. Nam hi sunt, qui auferunt à natura ordinem, tempus, & modũ. Insuper illli non sunt audiendi, qui dicunt tempus, nihil aliud sonare præter quam modum, & cõcludunt in re medica modum medelæ esse tempus medicationis, quorum error maximus est, nam per hoc, quod dicunt modum esse tempus, dicunt etiam quod accidens est substantia, valet illatio tempus est. igitur quærendus est modus, sed non valet quærendus est modus ergo tẽpus est. Etenim de ijs talis est ordo. Motus, tempus, oportunitas, modus, & sic contingit tempori habere modum per medium oportunitatem. Sed an veniant reiciendi à re medica illi qui dicunt obseruandas esse accessiones, & constitutiones morborũ & nõ dies, habet dibium. Dicunt isti tempus, & dies nõ curant, igitur non sunt considerandi. Quibus responderi potest, similiter nec accessiones, nec constiu

tiones curant, ſed error ſtat in hoc, quod exprobantes dies exprobant motum, & tempus, imo eis poſſet dici. Quod quæris intus habes, nonne in acceſsionibis, conſtitutioni buſque tempus & motus ineſt, igitur & dies. Vnumquodque particulare indiuiduum habet intra ſe unde principium motus, & cauſa, vt eſt videre in libello de motu cordis. Quod autem tempus, dies, acceſsiones, & conſtitutiones per ſe non curent quis dubitat? Natura eſt, quæ primo, & per ſe curat, cętera vero per accidens. Eſt etiam dicēdum, quod tempus non eſt vnū ex principijs poſi tiuis in re medicā veluti ſunt quātitas, & qualitas. Eſt tamen vnum ex iis, ſine quo natura non poteſt, & per illud idem ars operatur ſecundum imitationem, ordinem, & modum. Dubitatur etiam an dies à motu lunę, & ſolis numerari poſsint, ſicut numerantur ab oecaſionibus cōſtitutionibuſque? poſſunt quidem ſed modo medico. Non deſpicit Hyppocrates numerationem dierum motus lunę, & ſolis, ſed non approbat, ūt quicquam operetur in humano corpore. Etenim (vt dictū eſt) ſi habet indiuiduum vnde principium motus, & cauſa intra ſe, & per talem motū tempus, & dies numerantur, & habent ordinem, & modum, cur quęrendi ſunt dies lunares, & ſolares per obſeruationem? Natura non deficit in neceſſariis. Inſuper licet vni-

uerſalia

uerſalia per vniuerſalem motum mutent, & alterent particularia, & indiuidua. Tamen ſi hæc vniuerſalis mutatio, & alteratio eſſet idē cum alteratione, & mutatione particulari, tunc principium, & motus cauſa in particulari, & indiuiduo eſſet ſuperfluum & inane. Dictum iam eſt quod particularis cauſa aſſequitur cauſam vniuerſalem non per identitatem, ſed per imitationem, ſecundum quam habet motum, tempus, ordinem, & modum. Modo dicitur quod particularis, & indiuidui corporis principium, & cauſa ſemper de poſsibilibus agunt quod eſt melius, melior quidem motus eſt ille, qui mēſuratura, tempore & à diebus ſecundum talem motū particularem, quam ſecundum vniuerſalem motum. Quod ſi hoc non eſſet verum tunc principium motus non eſſet in eo, in quo eſt primum, & per ſe, ſed eſſet per accidens & ab alio, quod eſt contra omnium philoſophorū ſententiam, & medicorum rationem. Inſuper nonnulli dicunt. Quomodo ſaluātur ſententię Hyppocratis ſuper nótitia motus vniuerſalis, ſi hic motus in re medica parum cōfert? Inquit enim ortus, & occaſus magnorū ſiderum noſcendi ſunt, à quibus magnæ in aere ſolent fieri mutationes, atque ſubinde in corporibus certum eſt naſci egritudines. Nonne noſcēdæ à medicis ſunt vt per opportuna cōtraria iis cognitis occurri poſsit pręſidia?

dia? Similiter vniuersaliter in omnibus mor bis sunt accessiones, constitutiones, cruditates, coctiones, nonne & vniuersaliter iis succurrendũ est? Est animaduertendũ, quod intentio Hyppocratis non excludit notitiam vniuersalem in iis quæ faciunt ad artem medicam, sed excludit vniuersalem curationẽ in hoc particulari corpore, vel in illo. Etenim non curatur vt homo, sed vt Socrates, & Plato. Et sic mutationes, alterationes aeris mutãt corpus, & morbos generant, sed curatur corpus hoc secundum illum particularem motũ secundũ quem mouetur, & non secundum vniuersalem mutationem, licet vniuersalis mutatio à quocunque perito medico non negligatur. Igitur immensæ leuitatis est in re medica petere ab astris particulares morborũ motus, vt de iis cura habeatur, cum curetur Plato, & Socrates non luna, sol, & stellę quę nulla horum inferiorum hominum indigent curatione. Curatio vero humanorum corporum alio, & alio modo fit secundum tempus, occasionem, diligentiam, voluntatem, animi inclinationem, institutum, mores, prudentiam, & vsum eorum quæ contingere solent. Quibus mediis omnibus non subiacent res vniuersales ita, vt de iis à medica arte omnino succurri, & obuiam iri posit.

Cæterum orta est tantorum virorum dissensio ob causarum confusam, & non distin-

ctam cognitionem. Etenim in medicina causę sunt aut exteriores, aut antecedentes, aut coniunctę. Illi medici qui curant per causas exteriores, facile admittunt mutationes lunę, solis, & temporis in communi, sed debilis, & infirma est eorum ratio vt probatum est. Illi vero qui curant per causas antecedentes, præcauere possunt, sed non curare, denominatio enim morbi fit ab actu, & non à potentia, sed illi tandem, qui curant per causas coniunctas (Etenim hæc taliter est, vt ea posita ponitur morbus, & qua sublata morbus aufertur) hi sunt qui vere curant, quia proprium symptoma, affectum, & signa cognoscunt, per quæ vnusquisque morbus curari potest. Itaque cum in hac causarum distinctione quamplures errarint, & modo errent, non est mirum cur in tantas difficultates, & ambiguitates inciderint, de quibus supra lõgus satis quidem factus est sermo, & post hac fiet, dum omnẽ temporis, & occasionis perplexitatem dilucidauerimus.

Quid tempus morbi, atq. eiusdem distinctio secundum morbi partes. CAP. XXI.

IN quolibet autem morbo notatur à medicis tempus, & eiusdem distinctio secundum morbi partes, quæ etiam sine tempore & sine occasione non innotescunt. Est

itaque

itaque morbi tempus, quod secundum prioris habitus immutationē innotescit. vel tēpus est morbi vicissitudo, quæ in suas diuiditur partes. Etenim successione quadam vicissitudinis omnis morbus procedit. Quæque cum diuidatur in partes, ideo tempus habere partes dicendum est, quæque à medicis numero plurali dicuntur tempora, sumunt autem medica tempora similitudinem ab ætatibus, atq. secundum ætatum cursum habent vicissitudines, & immutationes. Hinc est, quod sicut ætates, & vitæ partes successione quadam faciunt animal. Ita distinctæ partes morbi per tempora faciunt totum morbum. Verum omnes causæ motionum morbi quanquam sunt efficientes ipsum, tamen diuersæ sunt, nec non diuersas de se parant morbi partes. Atq. hæ sunt illæ partes distinctæ, quæ à medicis distincta tempora nominantur. Cęterum inter partes morbi primum locum tenet principium, quod est prima morbi pars, videlicet quum primum inuadit hominē morbus, tunc incipere dicitur. Et est prima inuasio, illę primus insultus, qui tunc esse in principio videtur, quū nondum tertium aut quartū diem pertransit. Quare in principio morbus est crudus quū gignitur. Atque cognoscitur, à primo insultu, & per ipsum medicus curandi rationem incipit, aut præcautionem meditatur, aut denique recuperationem molitur,

molitur, quæ partes medicinę in sanis, neutris, & egris corporibus cognoscūtur, & exercentur. Quapropter bene inquit Hyppocrates. In principio si quid mouendum videtur, moue, sed cum ratione. Hinc est quod non inutiliter in primis diebus mittitur sanguis, aut lenientia medicamenta exhibētur. Tardare enim malum est. Quod etiam morbi principium fit crudum, inquit Hyppocrates. Concocta medicari, & mouere non cruda. Et sic sanguinis misio, aut medicamētum leniens exhibendum non est, ni fortasse materia turgeat. Etenim crudo existēte morbo expectanda est concoctio ad hoc vt medicamentum lenitas, & sanguinis misio competat, licet sanguinis misio non requirat eā concoctionem, quam purgans medicamentū expostulat, & leniens medicamentum similiter. Hoc fortasse intelligi potest de illa concoctione, quæ à calore in stomaco super cibo, & potu fieri debet, Sicut notat Galenus quod antequam corpus non exhoneretur, & cibus à stomaco non descenderit nulla est tētanda euacuatio aut per sanguinis misionē, aut per pharmaciam. Contingit autē aliquando vt nullo apparēte principio succedat morbi incrementum, & status, in quo accidentia sunt seuiora, & forsitan apparet concoctio. Numquid in statu est mouendus morbus? Huic dubitationi respondens Hyppocrates

inquit.

inquit. Medela tempore, & occasione contingit. Quasi velit dicere, quando tempus distinctum est, in tempore conuenienti medela vti debemus. Sed quando non datur tempus, sed occasio, etiam secundum occasionē medela continget. Morbo siquidem turgente non est prætereunda occasio, vt in prouerbio dicitur, ne in crastinū seria. Et sic ad propositum dubium duplici modo responderi potest, videlicet aut notatur tempus morbi aut tempus auxilij. Tempus auxilij nullum habet nomen, dummodo sit oportunum, condecens, & conueniens. Oportunum tunc est, quādo nullum habet prohibens, sic & illud est condecens, & conueniens, quod à perito in arte iudicatur aptum, & idoneum ad aliquid faciendum, & non faciendum. Tempus autem morbi quod non sit in quo medela exhiberi aut fieri posfit licet ex parte iam dictum sit, modo concluditur, quod vno & eodem iudicio hoc, & illud (recta tamen seruata ratione medendi) indicatur. Cæterum ne amplius discedam à proposito temporis principio, dicitur. Principium morbi illud esse tandem, quod cuiuscuuq. morbificę causę prima est motio actionem corporis lędens. Nam si motio, quæ prius non erat, morbum facit, initium morbi, seu principium nuncūpatur. Quod si vlterius motio procedat, dicitur incrementum, si incrementum consistit,

summus morbi vigor nominatur. Cum vero motio imbecillior redditur, atque decrescit, remissio, siue declinatio edicetur. Quomodo autem hæc distincta tempora cognoscantur breuibus verbis declarat Hyppocrates dicens. Circa morbi principia, & fines omnia imbecilliora, in statu vero omnia fortiora existunt. Quæ verba nō solum intelligi debēt de morbo secundum vniuersum, sed de quacunque singulari accessione, quæ aut continue affligat corpus, aut per vicissitudines reuertatur. Differt autem particularis accessio, ab vniuersali morbo secundum tempus in hoc, quod morbus vniuersalis habet tempus vniuersale, particularis vero accessio particulare tēpus exquirit, sub eodem tamen iudicio continetur, quia consimili vsu & ratione ab expertis in re medica comprobantur. Exempli gratia in anno aliquando maxime viget hyems, aliquādo ver, modo æstas, modo autumnus, sic etiam in homine aliquando pituita præualet, aliquando sanguis, aliquando bilis, primum quidem flaua, deinde etiam nigra appellata. Quorum omniū euidentissimum testimonium habetur, quando medicus aduersus morbos tum vniuersales, tum particulares instare conspicitur. Etenim quum aliquod excessum humorum in corpore videt, ilico iuxta temporis, & occasionis oportunitatem tradit medelam. Proptereaq.

bene, inquit Hyppocrates. Tempus quidem illud est medele, quod artem facilem, ac peruiam facit, aut in consimilem uiam incidentibus processus manifestos disponit. Quæ inquam tempora licet secum aliquando ferant multam perplexitatem. Attamen periti in re medica, qui omnia norunt, aduertunt etiam quid principium, quid incrementum, quid status, & quid declinatio, aut per tempus medela fiat, aut per occasionem. Sed dubitatur adhuc plurimi sunt morbi, qui uix attingũt principium, aut incrementum, imo priusquã ad eorum statum perueniant, ilico aut delitescunt, aut euanescũt. Similiter plurimi sunt, qui principium habent confusum cum statu. Et tandem multi sunt, in quibus principium, & declinatio confunduntur. Igitur quid agẽdum? Forsitan nihil confert in re medica horum temporum distincta notitia? Hippocrates soluit hanc dubitationem dicens. Quando tempore fit medela, tunc per causarũ motiones distinguenda sunt tempora, & auxilia docenda sunt. Quando uero occasione medela contingit, nulla habita distinctione incumbendum est ei, quod magis urget. Nã turgente materia medicare eadem die expedit. Tardare enim malum est. Conueniunt autẽ tam hæc, quam illa medela in iudicio aut fiat in tẽpore aut in occasione. Omnis siquidem medela semper est cum meditatione peragenda.

Conferunt

Conferunt itaque diſtincta tempora ad facilitatem medicationum ad ordinē, ad modū, ad opportunitatem, ſed quando cōfuſa ſunt, ut patet in occaſione quando turget materia, tunc loco ordinis, & modi, pro opportunitate ſupplet iudicium. Verum notandū eſt, qđ omnes actiones naturæ non fiunt in inſtāti. Quare in iis ſemper eſt tempus latitudo, & ſpatium, quia motus debet habere principium à quo incipit, & in quem finit terminum. Igitur ſi datur latitudo in actionibus, neceſſe eſt ut detur in morbis. At latitudo diuiditur per partes, ſic & morbus per tempora. Et ſicut partes conſtituunt latitudinē, ſic neceſſe eſt ut tempora cōſtituant morbū. Itaque ſecundum hanc notionem non datur morbus, in quo non ſint tempora, ſiquidem imperceptibile non cognoſcitur à medico, ſicut inſtans inſenſibile non inuenitur in morbo. Ergo omnis morbus eo quia eſt actio, habet latitudinem, latitudo habet partes, partes morbi ſunt tempora, ſic omnis morbus habet tempora, & nullus morbus eſt ita breuis, & confuſus, qui non habeat diſtincta tempora, quęque ſi omnibus nō innoteſcunt medicis, ſunt tamen nota peritis, qui concedunt non dari morbos, in quibus non ſint tempora. Poſſet quis dicere. Medela fit occaſione, in occaſione multum non eſt tempo

 ris,

ris, quomodo erunt in medela per occasionē distincta tempora nota? Respondetur, quod magis, & minus non uariant speciē. si enim datur maxima latitudo, in qua tempora distincta dignoscuntur, non est propterea concedendum, quod in minima latitudine etiā non fiant. Medicina est ars sensitiua, & à morbis, & à medelis non excludit tempus. Quare quæcunque secundum tempus nascuntur, etiam secundum occasionem nasci debent, quia occasio est in tempore. Et quod per demonstrationem in tempore manifestatur, non est inconueniens, ut in occasione saltem per iudicium elucescat. Et si quis aliter differendo de tempore, & de occasione existimauerit, pro comperto habere debet, hos sermones in medicina minime ei commodos fore. Dicit enim Hyppocrates corpus humanum semper habet secum congenitos humores, unum per temporis circunstantiam aliquando plures se ipsis fiunt, aliquādo pauciores, singuli tamen tum iuxta partem, ac copiam, tum iuxta naturam. Quemadmodum enim annus omnis omnium particeps est, & caliditatum, & frigiditatum, & siccitatum, & humiditatum. Etenim neque quisquam horum ne minimo quidem tempore consisterent, ac durarent circa omnia ea, quę in hoc mundo sunt. Et si unum aliquod desineret,

neret, omnia abolerentur. Et ex eadem necessitate omnia consistunt, & mutuo aluntur, sic si quid ex homine deficere ex iis, quę congenita sunt, non sane viuere posset. Atq. omnia hæc, & singula, quum ad artem medicam referuntur, sine occasione, & sine tempore esse non possunt quando ueniunt ad me delam. At commodi sunt hi sermones iis, qui norunt omnia quæ dicta sunt, quique in re medica plurimum profecerunt.

FINIS.

DE MOTV CORDIS.

PER FRANCISCVM Thomasium ex Colle Vallis Elsæ Thuscum, Medicum, Physic.

PROHEMIVM.



VONIAM omne id, quod mouetur necessario habere motorem philosophi testantur. Nō immerito cor mobile in corporibus animaliuiuentibus, unde habeat principium motus, & causam, multos inquirendo defatigauit, diuq. in mente mihi residit inuestigare. Nec ab re hæc superuenit intentio. Plurimi quidem hanc dubitationem olfaciunt, sed pauci sunt ex peritis in arte medica, qui consultationem ad ueram usque notitiam enarrarint. Et ij, qui de ea uerba faciunt, aut nolunt intelligi, aut tanquam sæpia spargunt attramētum. Quamobrem vt facilius intelligatur id, de quo futura est enarratio. Primum incipiā

secundum

secundum anathomicas administrationes declarare quæ substantia, seu natura cordis. Deinde manifestabo unde sit principiũ motus, & causa. Sed quia ueritas huiuscæ quæsiti minus elucesceret, ni altius quæreretur. Primo adducam eas assertiones, quas sapientes viri super proposita difficultate conscripserunt. Deinde quid dilucide conclusum sit, manifestabo. Et tandem cordis actionem, perfectionemque quantum ad uitam, & ad commodum pertineat declarabo. Quæ omnia (uti mei moris est) haud longa oratione, ne legentes tedio afficiam, sed breuiter, & concinne (quantum potero) manifestare tentabo.

Anathomia Cordis, & usus. CAP. I.

CORDIS naturam, quã diu intra corpus mouetur, tam diu esse, & uiuere necessario omnes de philosophia loquentes arbitrantur. Est siquidem cor secundum Aristotelem sensibilium animatorum primum instrumentum, & motus principiũ. Cuius mobilitatis facultas per inspirationem & respirationem plane cognoscitur. Factum est enim à natura cor ad uitam, ad commodũ, & ad horum duorum conseruationem. Ad uitam inquam, quia tum caloris natiui, quo animal regitur, quasi fons quidam, & domi-

cilium est, tum inspirationis, & respirationis basis est, quia est pars corporis inter cæteras principalissima simul atque tutissima, unde omnium insurgũt functionum commoditates. Quare sapientes uiri hoc per anathomiã examinantes dixere. Cordis substantia dura est, ac fibrosa, ex similaribus dissimilaribusq́; partibus compacta. Quæque est tanto osse mollior, quanto pulmone durior conspicitur. Ponitur cor in medio thorace in omnibus animalibus, præterquam in homine, in quo magis ad partem sinistram, quam ad dexteram uergere reperitur. In medio quidẽ est, tamquam in loco regis, adhoc ut sit regimen eius facilius, & commodius omnibus membris, & totius corporis circumstantiæ, seu circumferentiæ tutius presto esse posit. Figura insuper turbina tum est, licet præseferat rotunditatem ita ut leuius, dexteriusq́ moueatur. Recta etiam agitur ratione in motu suo, ni uitio aliquo impediatur. Impeditur autẽ, quando inter inspirationem & respirationẽ medio interuallo interposito exigua quædã quies intercedit. Tunc enim aut constringitur, aut obliquæ omnibus fibris eius agentibus id uitium sequitur, quod incommodat illius actionem. Verum prouida fuit natura, ut ab impedimentis liberaretur (multis etenim subiacet) & hæc omnia intelligunt anathomaci, quando eiusdem partes per resectionem

ctionem animaduertũt. Quamobrem cordis partes rescindentes. Primo inueniunt pericardium, quod est membrana, siue domicilium, idest firmum uallum, à quo cor tegitur, circumuoluiturque, & alio nomine uocatur capsula cordis. Quod tantum distat ab eo, quantum per dilatationem satis est spatij ad motum. Cõtinetur in hac capsula humor serosus, ex cuius multitudine palpitatio cordis sæpe contingit, sed ex eiusdem humoris conferentia fit facilis motus. Habet etiã cor annexas auriculas tenues, & neruosas, natura sunt cauæ, & per similitudinem ita nominantur. Plurimum autem præstant commodum cordi & ad firmitudinem, & ad motũ. Adiacẽt enim cordi, ueluti animalis cuiusq. capiti aures appenduntur. Habet insuper venas, & arterias, quæ ipsum ingrediuntur, egrediunturque. Venæ quidem sunt eiusdẽ naturæ cum cæteris uenis, quæ totum corpus perambulant. sola enim propria tunica, rara, & tenui perditæ sunt, sed arteriarũ duæ sunt tunicæ circumseptæ. Per has quidem aer, & uapor intromittitur, aut humor expellitur. Per uenas uero sanguis diffunditur. Tradita etiam sunt cordi duo uasa, dextrum, & sinistrum. Necnon bina orificia in uno quoque uase disposita sunt. Quæ numero sunt quatuor. Altera quidem quæ introducunt, & altera, quæ extraducunt quicquid obesse po-

test, aut prodesse cordi. Nam uti ex commẽtarijs Galeni habetur. Hoc factum est à natura, ut facilius cor moueatur, tueturq́ue se ab excrementis, & ad uitæ longitudinem perseueret. Tuetur siquidem se, quando fuliginosum expellit in contractione, aut quando in distractione allicit refrigerium. Liberius etiam mouetur, quando in fugã excremẽtorum liberam habet facultatem ad conseruandum motum, ad quem natura ipsum destinauit. Habet etiam cor membranas undecim, uidelicet, tres in orificio uenæ cauæ, foris intro pertinentes, crassitiæ, robore, & magnitudine insignes. Tres in orificio magnæ arteriæ intus foras contingentes. Tres in orificio uenæ arteriosæ intro foras spectantes. Et hæ omnes sunt in dextro uentriculo, seu uase. In sinistro uero duæ tantum sunt membranę in orificio arteriæ uenosæ foris intro pertinentes, per quas fit transitus à corde ad pulmonem ob fuliginosi excrementi expulsionem, quod posset in retentione calorem natiuum extinguere. Atque hæ membranæ sunt opercula, per quæ grauamẽ cordis, uidelicet sanguinis, & spiritus effluit. Attrahit etenim cor sanguinem, & spiritum tribus modis. Primo modo ob fugã uacui, quemadmodum fabrorum folles dilatati intro aerẽ trahunt. Id qđ inter cæteras partes totius corporis cordi inest. Secundo ob calorẽ manutenendum eo pacto,

pacto, quo elichyniorũ flãmę oleũ attrahũt, ut perpetuo lumen habeãt. Tertio ob similitudinẽ totius subſtãtiæ. Et hæc similitudo cõpetit cordi ĩſtar magneti trahere ferrũ. Igitur nõ immerito ex oĩbus iã dictis concludi põt, ꝙ cor dũ mouetur, necesse est, ut uitã habeat. Perpetuo aũt uiuit dũ mouetur, & eo magis, qđ corpus ualidũ habet, osseum, & densum. Aliter minorem haberet vitã, & motũ. Munitur insuper à uenis, quę à caua uena sei un guntur, extendũturq́. super ipsum, & faciũt coronam, ut ei non deficiat pabulũ. Similiter totidem rami ab arteria magna super cor extenduntur, vt cõtinue uiuificetur. A quibus omnibus tãtum dicitur nutrimentũ, quantũ refrigeret, & nutriat humidũ, remittatq́. calorem ad natiuum temperamentũ. Animaduertendũ tñ est, quod rami prouenĩetes à magna arteria sunt duo, & totidem à uena caua toti cordis corpus in orbẽ cõplectentes. Verũ nullus neruus uidetur per cor distribui, ueluti neq. ꝑ hepar, neq. per rhenes, neq. per lienẽ Insuper in capite cordis inuenitur os, ad qu reducũtur oĩa ipsius principia ligamẽtorum Fallit aũt hæc obseruatio in aĩalibus admodũ paruis. Nam in eorum corde reperitur quodã corpus ex neruo, & cartilagine cõflatũ. In maioribus vero est exactior cartilago. Sed in valde magnis cartilago est ossea. Et quãto aĩal vastius est corporis mole, tãto plus osseæ sub

ſtantiæ

ſtantiæ cartilaginem ſortitur, vt patet in ceruis, quorum cartilagineum cordis os pro medicamentis cordialibus commodatur. Igitur ex omnibus cordis partibus iã patere poteſt, quam liberam habeat à natura facultatem ad motum, ad vitam, & ad horum duorum commoditatem. Atque tunc vere libera eſt, quãdo torax, & pulmo libere aguntur. Quibus omnibus recte per anathomiam cognitis, magnum ſupereſt adiumentum & ad dicendũ, & ad iudicandum ſuper propoſita dubitationis inueſtigatione declarare.

Diſsidentium opinionum ſuper motu cordis manifeſtatio, & enucleatio. CAP. II.

MOVERI igitur mobile cor dum viuit, & quas habeat faciles ad motum partes iam ſupra per anathomicas adminiſtrationes oſtenſum eſt. Sed quo motu moueatur primum inquirendum iudico. Et.n.ex huiuſmodi motus inueſtigatione haud dubie dignoſcetur meliori modo, & via, quæ ſit eiuſdẽ cordis motus cauſa, & principium. Quamobrem vbi recte perpendetur hæc quæſtio, non immerito multas in ſe habere difficultates neceſſe eſt. Ideo ſecundum propoſitam intẽtionem dicitur cor pluribus moueri motibus. Mouetur ſiquidem motu generationis, quia generatur. Nam ex eo qđ

non

non est cor in actu, idest secundum formam, fit cor, quod prius erat in potentia, idest, in materia. Generatio enim est motus de nō esse, quod est in potentia ad esse, quod est in actu. Mouetur etiam motu alterationis, quia afflictiones patitur, vt patet in morbis. Mouetur similiter motu nutritionis, quia vt apparet, augetur. Et tandem mouetur motu delationis, quia in loco mouetur. De quo motu hęc prima insurgit dubitatio videlicet. An cor veluti corpus compositū moueatur ab elemento prædominãte, vel à forma mixti. Idē nunc intelligo mixtum, & compositum clarum quippe est cor esse compositum. Sed videtur prima fronte non posse moueri ab elemento prædominante. Nam cuius principiū est vnus motus, necesse est vt illud idem habeat vnam naturam. Modo cor habet plures naturas (vt supradictum est) quia ex similaribus & dissimularibus partibus componitur. Ideo ex mea sententia refugit à ratione, vt cor ab elemento prædominante possit moueri. Hæc autem ratio forsitan habet veri ratem in mixtione inanimatorum. Sed in corde, hanc positionem, dum viuit, habere modum nullo pacto potest, nec consentire videtur. Etiam à forma mixti moueri non valet, licet reponatur in specie sua per formam substantialem. Eo quia nō mouet corpus vt cor, sed vt motū ab eo, vnde est principium motus.

tus. Quam difficultatem cognoſcentes nonnulli ad modum arduam, altius quęrentes unde cordis principium motus, dixere. Cor, & hyecur omnibus animātibus neceſſaria ſunt. Alterum ob caloris originem. locus enim ad eſt in corpore, qui tanquam lar, & focus exiſtens, naturæ fomitē, & primordia ignis natiui continens, conſeruat. Et hic locus tutus eſſe debet, quique tāquam archa cuſtodire poſſit omnem vitæ commoditatem, & vocatur cor. Alterum yecur, quod factum eſt cibi cōcoquendi gratia. Quoquidem nullum animal ſanguine prædictum carere poteſt. Per quam ſententiam in ferre voluerunt, hanc rationem. Principium ſanguinis, & opificium eſt in hepate. In corde vero vitalis exiſtit ignis, non corſeruaretur cor in vita, & in motu ni haberet cauſam aliunde. Sed conſeruatio vitæ eſt à ſanguine. (Etenim pabulum calidi humidum eſt.) Quapropter vbi principium ſanguinis inuenitur, ibi principium nutritionis eſſe decernitur. Vena ſiquidem in hepate eſt, quæ per ſupremum cordis diffunditur, quæ dextrum ipſius ventriculum ingreditur. Quare eſſet dicendum, vt vnde eſt principium nutritionis ad vitam, inde eſſe debet principium motus ad calorem. Et ſic ab anima nutritiua ſeu à facultate nutritionis cordis motum habere principium exiſtimauere. Sed hoc eſſe nequaquam poteſt,

quia

quia animæ nutritiue non est mouere cor. Munus autem eius est generare, nutrire augeri, & diminui, quorum omnium nullum cordis motum, aut principium esse decernitur. Exempla sunt plantæ, in quibus hæc omnia vigere conspicimus, atque in ijs ridiculū esset cordis motum afsignare, qui maxime in anima viuentibus per inspirationem & respirationē innotescit. Sunt etiam nonnulli alij, qui moti ab actionibus cordis dixere. Eiusdē motus principium ab ipsamet inspiratione, & respiratione prouenire. Nam valet consequentia, respirat cor, igitur mouetur, & habet vitam. Insuper cor de se primum neque habet vocem, neque inspirat, sed est instrumentum, quod in attractione eccellit cætera totius corporis membra. Flatumque similiter haurit à pulmone, qui factus postea spiritus ab eo destinatur ad motum. Ergo tanquam instrumentum à nullo alio videtur moueri prætenquā à pulmone à quo inspiratio, & respiratio tanquam à folle dinoscitur & eiusdē cordis motus notitia inuestigatur. Sed hæc optimo fallax est. Differunt siquidem inter se flatus, & spiritus. Flatus enim influens est, sed spiritus innatus, qui vehiculum animæ esse dicitur à qua omnes proueniunt corporis actiones. Atque hic spiritus primum in corde reperitur tanquam in principe instrumento, & per ipsum ad cætera membra deducitur,

citur, diffunditurque ita, vt corpus omne perspiret. Aliqui insuper sunt, qui arbitrantur cordis motum prouenire ab anima sensitiua forsitan moti ab Aristotelis sententia, qui inquit primum sensiteriũ esse in corde. Alij similiter dixere maxime procedere ab anima intellectiua, eo quia Hyppocrates testatus est mẽtem hominis manere in sinistro cordis ventriculo. Sed qui talia dicunt neq. Aristotelem, neq. Hyppocratem intelligũt. Eo quia non sonant eorum verba secundum propositam dubitationem. Intellectus siquidem & sensus illum habent motum, qui ex appetitu procedit. Motus vero cordis in voluntarius est, nec moueri desinit, ni ab excrementis (vt supradictum est) impediatur, aut penitus absoluatur. Quare cordis motus ad contrarias partes esse videtur. Componitur siquidem ex pulsu, & tractu, in quibus neq. intellectus, neque sensus suam habet satis rationem. Quam difficultatem volentes aufugere nonnulli coacti sunt dicere. Cordis motum esse naturalem, eo quia naturaliter sic, & vniformiter cor moueri conspicati sunt. Sed hi etiam tota errant via. Etenim motus naturalis ad vnã partem tantummodo est, vt ignis mouetur tantum sursum, & terra solum deorsum. Id quod non est arbitrandum de motu cordis, qui complicitus est. Insurgunt dicentes, non est naturalis? Ergo violentus?

Esset

Esset quidē error maximus dicere cordis motum à violentia dependere. Nam manifeste cognoscitur, quod subtracto, sublatoque huiusmodi motu, aufertur, siue moritur animal. Deinde nullum violentū est perpetuū, neque facit ad perpetuitatem, sed potius ad naturæ operis euersionem. Quomodo enim esset motus cordis in tēpore, si violentia excludit tempus? Dubitant etiā quomodo nō est naturalis hic motus, si cum vita animalis inseparabiliter conseruatur? Leo rodanus Gaetanus volens aufugere hanc quęstionem inquit. Cor non mouetur à particulari natura intrinseca, sed ab vniuersali intelligentia, pro cuius sententia stant dicta Aristotelis videlicet oportet hunc mundum inferiorē continuum esse superioribus lationibus, vt inde omnis virtus gubernetur. Et alibi legitur motus cœli est quasi vita horum inferiorum. Igitur ex his authoritatibus patet, quantum se se inuicem consequuntur motus, & vita, & quomodo vita nō posit habere aliud principium præterquā illud, quod est principiū motus. Enimuero rationes hæ acutam faciūt intentionem, sed nihil probāt ad rem. In omnibus enim rebus naturalibus propriæ passiones alicuius generis, vel speciei aliquod principium intrinsecum cōsequi necesse est. Naturalia ea quippe sunt secundum Aristotelē, quorum principium motus in ipsis est. Qua

re quam nil magis proprium sit in cūctis animalibus ipso cordis motu, quo deperdito, perditur eorum vita. Ita necesse est ipsis inesse aliquod principium motus, per quod conseruentur, & viuant. Et hoc principium secundum Aristotelis intentionem intra corpus est, & aliunde cordi non aduenit. Ad rationes autem respondetur. Continuatur quidem motus cœli ad hæc inferiora ex natura vniuersali per quā causantur omnia per vniuersalem motum, sed motus hic vniuersalis patitur plerunque defectum, nec semper adest, sicut in fluxu, & refluxu maris cōtingit, qui sequuntur naturam lunæ & secundum ipsam disponuntur. Similiter impressiones aeris aliquādo impediūt rectam continuationem. Et terræ exhalationes inuertunt motū, sed motus cordis semper adest animali, nullamque patitur continuatam solutionem, & ob id à causa separata esse non pōt, absolute. Imo potius à principio intrinseco, tanquam à familiari, à quo diutius conseruetur. Donatus Antonius ab alto mari tpe iuuētutis meę dū essem Neapoli, credebat principiū motus cordis esse à calore, qui per spiritum genitus moueret ipsum, sed hoc esse non posse manifestaui. Illud enim quod primo in aliqua re existit propria est causa. Ita etiam euenit, vt prius sit in corde motus qui sequitur vitam, quam alteratio caloris, qui concitatur ex spiritu.

ritu. Quamobrem quis vnquam auderet fateri alterationem secũdum calorem esse causam motus cordis? Inmo potius ex opposito, motus cordis est causa caloris. Quare Aristoteles inquit, oportet quod futurum est mouere, non alteratione tale esse. Atque hoc pacto multum interest moueri per se & moueri per accidens. Per se enim caloris est alteratio, per accidens vero mouere secundum locum. Igitur peteretur principium, si calor assignaretur pro causa motus cordis, & tamen causa est, qua per se, & primo mouetur, quam nõ longa oratione manifestare tentabo.

Principium, & causam motus in corpore hominis esse in ipso corde. CAP. III.

CAETERVM homo ex philosophorũ sententia animal perfectissimum mouens se ipsum per similitudinem accedens ad motum vniuersi, minor mundus à quamplurimis sapientibus dictus est. Et quẽadmodum vniuerso mundo adscribitur primus motus, ita in homine tanquam in minori mundo connotatur motus primus. Homo itaque animal, & corpus animatũ habet motum, habet cor, in quo motus præ cęteris partibus esse iam dictum est. Sed vnde principium motus, & causa præcise, definiteque adhuc ignoratur. Immo in quo membro ad-

ſcribitur, in eo potius alterationis eſſe principium videtur, quam ſubſtantiæ. Quam difficultatē olfaciens Ariſtoteles, inquit. Quodcunque principium motus in eiſdem exiſtentibus non eſt, talia natura moueri haudquaquam diiudicantur. Quare omne animal totum quidem natura ſe ipſum mouet. Corpori autem eius contingit à natura, & pręter naturam moueri poſſe...Verum multū intereſt ſecūdum quem motum quid moueatur, aut ex quali elemēto. Etenim quum animal mouetur deorſum, tanquam corpus, motus eius naturalis eſt; eo quia hic motus competit animali, vt corpori, ſiquidem in corpore animalis elementum graue prædominatur, Quum vero animal mouetur ſurſum, eſt quidem motus naturalis animali, quia eſt à principio intrinſeco, quod eſt anima, non tamen eſt naturalis corpori graui. Atque in his duobus motibus fatigatur animal, vt patet in eo homine, qui tremore affligitur. Accidit enim ei hoc præ pondere corporis pugnante cum animæ facultate. Quare ſecundum hanc ſimilitudinem intelligētes motum cordis eſſe dicimus. Aut cor mouetur ob id, quod ab anima moueatur, & ſic pro toto animali intelligitur, cuius opinionis fuit Hyppocrates, quādo inquit. Ita omnia ſunt in omnibus, quia omnes corporis partes referuntur ad gentilitatem, nec habet maxima pars, quod minima

ma nō poſsideat. Aut cor mouetur quatenus corpus per ſe, & inſtrumentum. Et ſic habet quęſtionem. Igitur quando ſumitur cor pro animali non eſt ambigendum cor moueri ab anima. Dat enim anima eſſe, & conſequentia ad eſſe id eſt ad vitam eo quia, ſecundū Ariſtotelem, viuere viuentibus eſt eſſe, ſed quādo ſumitur pro inſtrumento ad motum, tunc contingit ei moueri motu tractus, & impulſus, atque in hoc motu patitur quaſcunq. afflictiones localis motus habere videtur. Igitur, dicet quis, motus cordis naturalis eſt in omnibus animalibus? Et eſt dicendū eſſe in omnibus præterquam in homine, in quo naturalis eſt, & à propoſito. Exempli gratia nidificant naturaliter hyrundines. Araneæ faciumt telas. Homo vero qui rationis eſt particeps licet naturaliter moueatur, etiam mouetur ex appetitu. Quapropter minime inconueniens eſt vt credatur cor naturaliter, & præter naturam moueri. Etenim præter naturam mouetur, quando ex motu aliorum mēbrum excitatur ad motum, vt videtur eſſe opinio Hyppocratis, qui dicit omnia eſſe in omnibus. Et Ariſtoteles inquit, motus alij poſſunt eſſe voluntarij. Primus vero motus, qui cordis eſſe creditur, naturalis denominatur. Dubitat quis, ſi naturalis, cur tanquam ignis non fertur ſurſum? Cur non ſequitur formam naturalem? Dicendum quod gene-

rans qui dat formam est per se mouens secundum locum. Et quemadmodum formam elementi consequitur aliquis motus naturalis, ita nihil ꝓhibet alias formas sequi alios motus naturales. Exempli gratia ferrum natura mouetur ad magnetem, qui motus ei naturaliter non inest, ut graue est, sed quia tali forma donatur, quæ est causa, & principium talis motus. Quare concludi potest, quod unũquodq́. animal uiuens secundum hanc assignatã formam habet sui cordis motũ. Quęq́. à multis anima, ab aliis forma nuncupatur. Quæ inquam motum naturalem, & appetitiuum dat corpori, & primo cordi, id quod sic dicere inconueniens non est. Nam si dat motum anima, dat etiam facultatem ad mouendum. Et Aristoteles inquit existimandũ est animam assimilari regi in ciuitate, uel gubernatori nauis secundũ Hyppocratē. vterq́. enim recta dispensatione agit, regit, moderaturque suam administrationem. Dubitabit aliquis dicens. Hęc similitudo non currit forsitan quatuor pedibus. Nam quando stabilitus est ordo in ciuitate, & in obseruatione positæ sunt leges, non eget amplius ciuitas, ut rector adsit. Faciunt siquidem ministri quod iustum est, & expediens secundum præfixum ordinem. Numquid cõtingere potest animæ ut adsit, & non adsit corpori?

Vbi

Vbi hoc esset uerum, moueret aliquando anima corpus, & aliquando non. Et sic corpus in tempore haberet uitam, & ad tempus non uiueret. Cui dubitationi sic respondetur. Anima est illa, quæ dat corpori esse, moueri, uiuere, necnon libere operari. Quare omnes animalium actiones, aut naturaliter sunt, aut à uoluntate fiunt. Quæ naturaliter fiunt, semper habent præsentem animam, nec ab ea separantur. Exempli gratia membra uiuentis corporis tantum munus suum exequuntur, quantum oportune anima eisdem semper præsto est, & adest. Nutritiua siquidem facultas nutrimento apposito auget corpus, quia præsens ei anima est, nec illud munus aliter exequi posset, & ualeret, etiam si ab aliquo alieno imperio præciperetur. Et quod dictum est de facultate nutritiua intelligi potest de cæteris omnibus naturalibus facultatibus, & ratio est, quia ita compacta sunt corporum membra à natura, & ita congestæ sunt uirtutes naturales, ut recto ordine apta nata sint (dummodo impedimentum non contingat) semper fungi officio suo, nec aberrare, aut desistere ualent, dum animal uiuit, ab incepto opere uiuificandi, & nutriendi. Sed quæ uoluntariæ perficiuntur actiones, eædem ab anima libere moueri dicũtur. Quamobrem aĩa,

quæ libere agit, libere etiam adeſſe poteſt, & abeſſe à corpore, quia omnes ſuas actiones per voluntatem exequitur. Et quod hoc ſit verũ vulgata illa ſententia inſinuat: Anima non eſt vbi animat, ſed vbi amat. Et ſic patet quod illæ actiones, quæ à voluntate fiũt, ſolę libere aguntur. Quę vero naturaliter perficiuntur, minime eas viuens corpus exequi poſſet, ni pręſto eſſet anima, ipſumq; continue animaret. Quo fit vt corpus non deficiat moueri, dum ei anima dat vitam. Modo vita ſecundum opinionem Ariſtotelis primo cognoſcitur in corde, quia in corpore cor eſt primum, quod viuit, & vltimũ quod moritur. Igitur & primum eſt, quod ab anima moueatur, quodque tanquam primum inſtrumentum eſt regula, & modus cæterorum mẽbrorum ad naturales motiones. Quare motus cordis dicitur eſſe naturalis, quia prius conſequitur naturam, ideſt animã inquantum eſt natura, ſed quomodo per experimentum id omne ſumi poſsit, paucis declarabo.

Dilucidatio principij, & cauſæ motus cordis per experimentum. CAP. IIII.

MEDICI omnes, & ij, qui per ſenſibilia querunt rationem ab experimentis, inueſtigãtes huiuſmodi motus

tus cordis principium, & altius exordientes intentionis propositum. Primo inuenerunt ea omnia, quæ ad generationem animalium concurrunt. Deinde ex eorum notitia manifestare tentarunt, quæ sit huiusmodi motus cordis principium, & causa. Longa quidem esset perotatio, si omnium animalium generationem vellemus perscribere. Sufficiet tamen ea enarrare, quæ ad hominis generationem spectat à quorum omnium cognitione intentionis nostræ propositum, nec non experimentum fortasse habere deliberauimus. Dicitur itaq. quod receptis feminibus viri, & mulieris in vasis genitalibus, seu generationis, calores amborum agunt inuicem, & patiuntur, atque in eorum motibus pars humidior incipit distare à medio, seu à centro. Interim in cetro calor constituit basim. Quapropter quæcunque distant ab eo, & accedunt ad circumferentiam, infrigidantur. A qua frigiditate producitur super circumferētiam pellicula instar oui gallinacei, qua tegitur vndequaque vniuersa seminum materia, in cuius centro locus cordis, seu ipsum cor cōstituitur, quod caloris origo nuncupatur. Enim vero nisi ab illa extrema pellicula calor circūdaretur, seu calores illi, forsitan exhalarent, & humidum efflueret. Quare cum calor ille non habeat exitum, necesse est vt reflectatur, pulset, digerat, & euaporationem

feminum in substantiam spiritus conuertat. Sed dubitatur modo an cor producatur ante cęterorum membrorũ productionẽ. Galenus inquit cor posterius hepate generatur. Et in eodẽ loco inquit etiã, quo tpe cor formatur, eodem tpe pars spinæ, & thoracis supra septũ trãsuersum materiam generationis suscipere arbitramur. Hyppo. uero alterius est opinionis dicẽs. Mihi uidetur corporis nullum esse principium, sed omnia principium, & oĩa finis. Quæ controuersia maxima esset, ni fortasse tali pacto solueretur. Hypp. n. habuit respectũ ad suscipiendã formã, q̃ sine mora introducitur, & est oĩa in omnibus, ut ipse inquit. Galenus uero tradidit modũ distinctionis membrorum secundũ scientiæ notitiam. Natura quidẽ ex confuso facit distinctum ut olfecit Hyppo. sed distinctionẽ ipsam nõ potest ars intelligere, nisi confusum per partes segreget, atq. disquirat. Et ob id nõ immerito secutus est Galenus Arist. qui ĩquit, nõ sunt eodẽ modo nota nobis, & naturæ, sed nõ immorabor amplius super hac quæstione, quia est præter intentũ. Propositum quidẽ est manifestare unde sit motus cordis principiũ, & causa, atq. pro rei cognoscẽdę notitia est animaduertendum, qđ cor est factum antequam spiritus productus sit. Locus siquidẽ spiritus cor est, & tanq̃ locus, locato est prius. Insuper cordis materia dura est, & crassa. Spiritus uero sub-

ro sub-

so substãtia admodũ subtilis est. Quod si spiritus tanq̃ subtilis, calidus, & maxime mobilis per recreationẽ non saluaretur in corde, tanq̃ in re dũ, facile corrũperetur. Propterea dicitur, qđ cor tanq̃ basis in aĩalibus pfectis, necnon in aĩalibus imperfectis aliquid loco cordis, ante mouetur, q̃ spiritus moueat ipsũ. Cuius motus causa (ut dictum est) non prouenit à uirtute nutritiua, non à generatiua, nõ à seminibus parentũ, non à caliditatibus seminum uiri, & mulieris, non à spiritu, & tẽperamento, si reperiuntur in eo principio, quo cor incipit moueri. Et ratio est, quia hæc oĩa instrumenta sunt, & seruiunt animæ. Igitur si anima dat esse animali, & homini perfectionem, multo magis, meliusq́ue dabit omnibus eorum instrumentis. Anima itaq. ea est, quæ dat principium, & causam animali, & homini primo. Deinde cordi, ut sint, & ut postea moueantur, sed per primum instrumentum quod est cor. Quapropter hæc propositio est uera. Anima per se mouet cor, ergo principium motus cordis est per se ab anima. Cõtra quam propositionem aliqui possent dubitare dicentes. Contingens est hominẽ esse, igitur & cordi moueri. Respondetur quod illatio ꝓpositionis uera non est. Nam qñ homo habet cor, & uiuit de necessitate moueri dicitur. Contingit ẽt cæteris aĩalibus id, quod homini. Anima.n. dat esse, & moueri eccellentiori

tiori modo homini. Cæteris vero animalibus ad vitam sufficit calor. Quare in productione corporis animalis, & hominis pręcipue, & eccellenter, talis est ordo naturæ, quod producto corde, & spiritu gignitiuo, illico producitur vitalis. Intelligit enim natura prius perpetuitatem speciei, quam hominis indiuidui vitam. Nihilominus prima perfectio huius indiuidui vita est. Post spiritum vitalem sequitur naturalis, deinde animalis, prout omnes isti spiritus per potentiam erant prius in semine. Et sic post aduentum animæ omnes præfati spiritus, vt instrumenta ei cedūt, & sine quibus ipsa minimę operaretur. Quā ob rem sicut omnes potentiæ animæ stabiles sunt in vna assentia, Ita omnia membra, quę sunt partes organicæ, habent connexionem ad vnum principale instrumentum, quod est cor, ex quo tanquam ex fonte totum corpus irrigatur, & madet. Et licet ex opinione Hyppocratis omnia membra simul generentur, tamen ex naturę prouidentia secundum distinctionem datum est ei, ut sortiatur primum locum, tanquam primum instrumentū, in quo primo apparet vita. Atque hoc in ordine distinctionis, positionis, & loci medium est in toto corpore ita; vt in eo primo anima exerceat suas facultates. Id quod manifestatur per spiritum, qui in corde primo est, quique ex sui natura dicitur esse inter duritiem corporis,

ris, & animæ simplicitatem medius. Quamobrē in corpore primus locus animæ cor est, medius vero spiritus, per quem deferuntur animæ facultates per vniuersum corpus. Cōsidet autem anima toti corpori, & in medio, quemadmodum arança telæ, quę tenens prę pedibus omnia exordiorum fila, occurrit ei, vbi eiusdē opus, & virtus necessaria fient. Sic anima residens primo cordi, & inde omnibus membris explet motum naturalem, vitalem, & animalem pro vt expediens est aut secundum appetitum, qui motum corporis sequitur, aut secundum rationem, quæ animam imitatur.

Quæ latio cordis sit, & qualis secundum mutationem. CAP. V.

POSTQVAM cordis principium motus esse ab anima iā satis clare manifestum est, superest modo inuestigarę qualis sit eiusdem latio secundum mutationem. In qua inuestigatione apprime declarabitur, & innotescet quæ, & qualis sit cordis perfectio, & nobilitas. Subiiciendum autem primo est cordis motum naturalem esse, idest quasi cōsequens naturam, seu animam inquantū ipsa est forma corporis, quæq. manifestatur prius in eo tanquam in prima sede, in qua primū generans, & primum mouens sui operis habet perfectionē, & nobilitatem. Deinde est animaduertendum, quod cordis conditio, &

proprietas est, vt consequatur nobilissimum locũ in corpore, in quo facile possit suæ formæ nobilitatẽ consequi, necnon imitari eam inquantum potest. Tertio supponendũ est, quod nobilissima forma inter cæteras aĩa est, q̃ ab aliquibus philosophis uocatur una intelligẽtiarum, atq. secundũ motum comparatur ei in similitudinẽ, qui cęli motũ disponit, regitq́. Quare nobilissima atq. perfectissima secundũ hanc similitudinẽ ẽt uocatur aĩa, quæ motu suo cęlestẽ motum imitatur. Habetq́ue sui motus locum, & sedem cor primũ instrumentum inter cætera mẽbra totius corporis. Quod ẽt nniuersi corporis cœlestis motum, quantum ei possibile est, imitatur. Deficit autẽ motus cordis à motu cęli tanquã principiatum (ut ita dicam) à suo principio. Etenim motus cęli circularis, & cõtinuus est, similiter & motus cordis. est ẽt motus cęli, q p accessũ, & recessum rebus oĩbus principium, & finẽ suarũ motionũ imponit, & sua continuitate conseruat ordinẽ in motibus, q non sunt semper, sic & motus cordis principium est oĩum motionũ, q̃ in oĩbus aĩalibus insunt. Id qđ declarat Arist. dicens. Delectabilium omniũ, & tristium principium est in corde, in quo omnem sensum habere initium, finemq. decernitur. Quare non est mirum cur de eo tot laudes cõscripserint sapientes. Et fortasse tale fuit encomiũ, quia natura prouida superani-

malium

malium gñatione, ut diutius uiuerent, fecit instrumentũ, cuius motus esset cęli motũ imitaturus. Sed nõ simplex est, & circularis secũdum uniuersum. Componitur aũt ex tractu, & pulsu. Per quẽ motũ finis est, & principiũ eorũ motuũ, qui esse in aĩalibus cõspiciũtur. Nec obstat pfectioni motus, ꝙ cor taliter moueatur, & sit instrumentũ. Quã difficultatem psentiens Arist. inquit. Mouẽs organice est, ubi principiũ, & finis idẽ existit. Quamobrẽ q̃cunq. pulsu, & tractu mouẽtur talia esse debere, necesse est. In his.n.oportet sicut ĩ circulo manere aliqđ, unde sit principium motus, necnõ cõtinuetur, cõseruetur q̃. ad uitã, neq. unq̃ deficiat, nisi pereat aĩal, ĩ quo motus est. Differẽtia uero inter motũ circularẽ, & motũ cordis hęc est. Qđ circularis motus semp est absq. ulla ĩtercapedine ad centrũ. Sed motus cordis hanc secũ fert necessitatẽ, ut intercidat morula quadã ĩter eius pulsum, & tractũ. Cęterũ aliqui dubitãt an motus cordis simplex est, an cõpositus? Cui dubitationi p supradicta rñderi põt. Nã si motus cordis ita esset naturalis, ut esset simplex, tunc de necessitate sequeretur motũ grauium, & leuiũ. Neq. ita cõpositus est, ut ĩplicet contradictionẽ. Quare dicẽdũ est cor moueri duplici motu, & nõ cõposito, ad contrarietatem. Atque taliter hi duo motus simul mixti sunt, ut facile faciant unũ motũ posibilẽ, quiq. tñ distet à simplicitate

citate motus circularis, quem imitatur, quia est ab eodem in idem, quantum per præfatã morulam impeditur. Patitur siquidem hoc non inuita natura, nec pro inconuenienti reputatur, ut talis motus sit quodammodo ad diuersas partes, quæ sibi inuicem uidentur contrariæ, & ratio manifestabitur. Verum dubitatur prius an motus cordis distinguatur à motu, qui prouenit ex apprehensione, & appetitu qui ab anima sensitiua oriũtur. Cui dubitationi respondetur, quod licet actus sint diuersi à principio tamẽ eius motus, qui est à corde proficiscuntur. Atque hoc pacto similiter distinguitur motus cordis à motu progresiuo. Qui omnes motus diuersi licet sint per uniuersum corpus secundũ proprios actus distincti, & clariores sint in uno mem bro, obscurioresq. in altero, attamen cuncti referuntur ad primum instrumentum, quod est cor. Atq. causam habent, & principium ab ea forma, quæ dat esse toti corpori vt moueatur, sed ut dictum est primo cordi secundum distinctionem, deinde cæteris membris ad consequentiã vt clarius, & obscurius moueantur, sed in oppositum uidentur esse medici. ipsi enim per distinctas operationes, sedes distinctas actionum, motuumq. faciunt. Exempli gratia deficiente animali facultate potest remanere incolumis uitalis actio, sed non econuerso. Et vitalis actus est, qui motũ

cordis concomitatur. Quo deficiente, deficit vita. Atque ratio huius dicti sumitur a philosopho dicente. Actus distincti distinctas arguunt formas. Formæ sunt diuersæ, igitur & diuersi motus. Contra quam rationem ita respondetur. Ait idem philosophus. Viuere uiuẽtibus est esse. Esse uero est à propria forma. Quod si uita primum est in corde, nõne dicendum quod cor primo uiuat? Ratio est, quia primo recipit formam. Insuper licet dicatur, quod deficiente animali facultate, adhuc remanet uitalis, adeo quod uidẽtur esse distinctæ. Et Plato inquit quod Cocodrillus auulso corde adhuc uiuit, sed deperdito capite statim moritur. Attamen non adhuc concludunt intentionem. Etenim non negatur quod operationes diuersę non arguant diuersas formas, sed renuitur, quod in uno, & eodem corpore sint plures formæ essentiales. In accidentalibus autẽ formis ordo est, & secũdum talem ordinem disponuntur per uniuersum corpus ita, ut actus unius non sit actus alterius. Quis enim unquã fateretur, manus operationem esse pedis? & quæ pedis est, ut linguæ competat? Et nihilominus distincta sunt membra, distinctæ actiones. Attamẽ ab eo motu sumunt uirtutem omnes, qui primũ cordi ab anima commodatur, deinde (ut dictum est) per ipsum cor cæteris membris, ut fons riuulis, distribuitur. De exemplo autem

Platonis,

Platonis, nil dicendū, ſed qui de animalibus ſerpentibus rõnem habẽt, ſatis quidem commode poſſunt hanc quæſtionẽ enodare. Cæterum ne , aberremus amplius à ſcopo. Dictum eſt ſupra,quod motus cordis quodãmodo eſt ad diuerſas partes. Si ſic eſt dicit quidam , quomodo imitatur motum cœli ? Dicunt Aſtronomi cœli motum non habere diuerſas affectiones, cõpręſsioneſque, ſed vniformitatem quandam, ſecundum quam motus cordis eſſe non poteſt. Cui dubitationi reſpondetur , quod imitatio eſt in quantum põt, nec ob id ceſſat cor ab imitatione, vt patet in motu ſuo. Dubitatur etiam an affectiones animæ prouenire poſsint ab affectionibus cordis ? Exempli gratia. Quando accenditur ſanguis circa cor, nunquid afficitur anima ob affectionẽ cordis ? Dicendũ eſt, quod non,quia in rebus naturalibus forma non eſt propter materiam, ſed ex oppoſito, dicente Ariſtotele. In prima materia eſt diſpoſitio, ſeu appetitus ad formam. Non ergo propter hoc aliquis vindictam facit, quia ſanguis circa cor eius accenditur,ſed quia ad iram diſponitur, iraſciturque ex appetitu vindictæ,quã difficultatem præſentiens forſan Galenus in libello ſuo inquit. Animi mores ſequuntur temperamenta corporis. Verum hęc ſententia duplicem habet intellectum & quantum ad primum. Non dixit Galenus ſequuntur

ita,

ita, vt corpus per temperamentum ſuum for met mores animi, & eoſdem mutet, ſed vt corpus ſecundum temperamentum habeat diſpoſitionem, & appetitum ſequendi mores animi à quibus dirigatur in actiones, ſed hoc ſemper non videtur eſſe verum. Et ratio ſumitur à motu cordis. Anima ſiquidē quādo præcipit vult, ſic quando animi mores ſequuntur tēperamenta corporis ex voluntate animæ ſequuntur, ſequi autem non poſſunt niſi per motum. Ita igitur cor deberet moueri voluntariæ, & nihilominus inuoluntariæ mouetur. Quomodo ergo eſt ſub imperio animę, ſi uolūtati eius nō obtemperat? Quātum ad ſecundum intellectum, melius eſt dicere, quod temperamenta corporis ſequantur mores animi, ideſt à temperamentis corporis animi mores ſequantur, hoc eſt generētur & fiant, ſed contra hanc rationem ſtat dictum philoſophi, qui inquit. Multoties contingit, quod apparente aliquo, non tamen iubente anima mouetur cor, & mouētur pudenda. Neceſſe eſt enim alterari animalia alteratione naturali, alteratis autem partibus, hoc quidem augeri, & illud decrementum pati, vt iam moueantur, & permutentur naturaliter. Quorum mutationes ſe ſe inuicem conſequuntur. Cauſę autem talium mutationum ſunt caliditas, & frigiditas, quæ foris, & intus naturaliter exiſtentes præter rationem

faciunt motum partium. Veluti per experimentum manifestari potest in corde, & in pudendis incident alteratione. Quamobrem sic formatur ratio. Si temperamenta partium corporis naturaliter sequuntur caliditatem, & frigiditatem. Ergo minime sequuntur mores animi. Quod si non sequuntur mores animi, & ipsi mores animi sint, necesse est aut sequantur temperamenta, aut animam. Non sequuntur semper animam, vt patuit per rationem philosophi, ergo sequũtur aliquando tẽperamenta. Et sic patet quod vniuersaliter Galeni intentio nõ est vera, quod animi mores sequantur temperamenta corporis. Dicet quis, mores referuntur ad animam, & nõ ad corpus. Bene verũ est, sed propriȩ respiciunt animam, improprie vero corpus, veluti vocatur quis dexter, aut sinister. Quare pro corporum temperamentis stant vsus proprie, & pro anima mores. Improprie tamem possunt inuicem confundi. Instabit etiam aliquis dicens, si ratio Aristotelis vera est, igitur anima nullo pacto concurrit ad motum cordis. Quomodo erit principium motus eius.? Respondetur quod anima primo mouet cor, secundo vero calor, aliter cor tale esset per alterationem, quod est contra philosophum. Cȩterum ne quis vlterius dubitet supra dictum Galeni, est animaduertendum, quod quando corpus obediens est animæ, semper recto

modo diſponitur ad eius actiones, & mores, & non poteſt niſi per temperamentum, ſit & per temperamentum ſequitur mores eius. Quando vero peruertitur ordo naturalis ita, vt corpus imperet, anima vero detrimentum patiatur, tunc temperamenta corporis faciũt mores, qui amplius non ſunt animę, ſed corporis. Et ſic dictum Galeni etiam eatenus verum eſt, quatenus recto modo, & non obliquo, animi mores corporis temperamenta ſequantur.

Dictum eſt itaque quod cordis motus nõ eſt eiuſdem ſpeciei, & nihilominus habet ſimilitudinem cum motu cœli. Inſuper factũ eſt manifeſtum, quod diuerſitas motus eius non eſt impedimẽto naturæ ita, vt deſtruatur anima. Et tandem narratum eſt, in quo loco cor conſtituatur vt aptius, facilius, & promptius moueatur. Modo videndum eſt, quomodo eiuſdem cordis facultas per tractũ, & pulſum habeat liberã motionẽ ad tuendam vitã. Id quod facilius inueſtigabitur, ſi prius ex iam habita eius anathomia hoc intelligatur. Datur itaque ſecundum anathomicas adminiſtrationes in vno corpore vnum cor per propriam formam à qua ſecundum animam prouenit vnus motus, qui innoteſcit per pulſum, & tractum, ſicut inueſtigatur cœlum per dextrum, & ſiniſtrum. Atque hæc diuerſitas non impedit vniformitatẽ ſemper enim

mouetur ab eodem in idem, sed cum ea morula, qua perfectam circuli actionē non perficit. Sufficit autem talis motus ad vitæ conseruationem, quousque calidum eius in humido permaneat, & viuificetur. Dicet quis, datur etiam vnitas hepatis, cerebriqu e quid igitur sequitur ex vnitate cordis? Respondetur, quod in hepate est facultas naturalis & in cerebro facultas animalis, & eorum loca sunt distincta, & cum his etiam distincti sunt spiritus, tamen secundum quandam relationem omnes referuntur ad cor, tanquam ad primum instrumentum in quo est vita secundum motum. Anima siquidem vna est tanquam omnia in omnibus, tamen primo manifestatur, non quidem in hepate, non in cerebro, sed in corde tanquam in primo instrumento. Corpus siquidem quod generatur, primo est, secūdo viuit, tertio nutritur, quarto ratione vtitur si homo est. Secundum quā distinctionem apparet quomodo cor primū est instrumentum, in quo anima viuere dicitur. Quare si cætera membra viuere dicuntur, aliter esse non potest, nisi per eam relationem, quam habent ad ipsum cor. Igitur si primo cor recipit animam, primo etiam recepit motum, & facultatem, ita vt inter cetera membra totius corporis videatur esse principiū motus, & finis, tanq̄ ad eundem terminū, qui motus, vt dictum est, manifestatur per tra

ctum,

ctū, & pulſum. Nec obſtat qđ diuerſę faculta tes; ī diuerſis locis exerceātur ſecūdum diuer ſos actus. Etenim iam dictū eſt, qđ ſecundum principiū & finem referūtur ad ipſum cor, & manifeſtantur per pulſum, & tractū, vt teſtā tur oēs partes corporis, in quibus eleuatio, & depreſsio ipſius motus ſentiūtur. Atque hoc pacto anima ponit in corde per originem oēs facultates, quas terminādo adimplet ī ꝓpriis ſedibus. Sola vitalis actio ſicut incipit in cor de, & viuificat cętera mēbra, ſic reuertitur ad cor, in quo oīum facultatum baſis, fundamē tumq. eſſe reperitur & ad vitam & ad conſer uationem. Propterea poteſt dici, qđ cor non ſit aliud, pręterquā aīal in animali obſettū, concluſumq. & cū alijs mēbris colligatū ita, vt oībus ſit in potentia ad vitam, in ſe autem eſt vnum in actu, vt primo ab aīa viuificetur. Atq. hinc eſt, qđ habet omnem modū attra-ctionis, ſiue à vacuo, ſiue à calido, ſiue à vir tute id fiat. Quare concludendum eſt cętera mēbra ob id moueri, quia cor mouetur. Cu-ius motus ab anima eſt primo, per ſe, & ſecū dum totū. Cognoſcitur per pulſum, & tractū, de quibus paulo inferius erit ſermo, quando de pulſibus fiet enarratio. Et tandem nobili-tas cordis declaratur ab Ariſtotele tali pacto. Eſt ſiquidem cor tanquam minimum mo-tum per quod ſaluatur, & regitur animal dum viuit.

Vsus motus cordis necessarius. CAP. VI.

CORDIS ergo naturam, substantiãq. secundum medicas administrationes aperuimus. Et vnde sit principiũ motus eius, qualisve sit (vt potuit) disseruimus, superest modo ad meliorẽ, & faciliorem intelligentiam declarare, quis sit cordis usus. Quæ notitia erit verior, quia ex ijs fiet, quæ manifesta sunt sensibus, probanturque à medicis qui herculeo nodo rationes cum experimentis colligare solent. Atque tanto magis vtilis erit hęc notitia, quanto minus relinquetur locus dubitationi in iis, quæ naturam cordis, & motũ eius consequũtur. Et quod hoc futurum sit verum, paulo inferius declarabitur. sed pro rei veritate est noscendum, quod in omni animantium corpore particulæ omnes ita dispositæ sunt, & sibi inuicem consentire videntur aeque atque vt suum principium, & naturam à qua proceduut non solum recognoscãt, sed tutantur. Annexa quidem sunt membra per compositionẽ, & per complexionem, sed multo magis per motum qui sumit principium à corde. Cuius rei experimentum est. Nam bonus habitus dinoscitur per bonam corporis constitutionem, sed recta cõstitutio esse nequit, nisi per rectum motum distinguatur. Quare rectus habitus

sequitur

ſequitur rectam conſtitutionem, quia ambo rectum motum habent. Qui motus rectus eſſe non poteſt, ni ea, quæ ipſum conſequuntur eſſent recta. Igitur quæcunq. cordis motum ſequuntur, eique annexa ſunt ita, vt ſeparari non poſsint talia ſemper fore ſunt exiſtimanda, quale futurum eſt cor in motu ſuo, vnde omnium membrorum motiones originem ſumunt. Sunt autem annexa cordi, quę ſeparari non poſſunt. Spiritus, pulſus & tractus. Calor. De calore nullus erit ſermo, quia ex ſuppoſitione cũ ceteris intelligetur (Etenim de corpore viuo eſt futura enarratio) ſed de reliquis eſt propoſitum inueſtigare. Quorum lectio oſtendet vſum motus cordis maxime neceſſarium, & prodeſſe plurimum peritis in re medica non ſolum ad dicendum, ſed ad indicandum in quacunq. cordis actione poſuerint intentionem.

Quid ſpiritus, qualis, & vnde diuerſe opiniones ortæ ſint. CAP. VII.

SPIRITVS itaque à natura factus eſt veluti quoddam medium inter duritiē corporis, & ſimplicitatem animæ. Temperatus quidem ſubſtantia in ſe eſt. Calidior tamen omnibus exiſtit, quæ in corpore repetiuntur, aliter non poſſet deſeruire omniũ actionibus, quę ſolo calido peragũtur. Hinc

est quod aliqui dixerunt, spiritum esse calidum instrumentum, sine quo nihil unquam boni in corpore pfici posset. Quapropter ex similitudine quadam Plato uocauit spiritum animam. Ambo siquidem uidentur spirare ad uitam. Aberrauit tamē Plato in hoc, quod anima spirat, ut causa, spiritus uero ut instrumentum. Aristoteles autem uocauit spiritum uentum, aliquando etiam uaporem, & aliquando aerem, quem inspiramus, & respiramus. Adhuc aliqui sumpserunt spiritū pro aliquo corpore sublimato, quod ab alchimistis uocatur quintum corpus, seu quinta essentia. Cui tribuunt hanc proprietatē, uidelicet dare formam rebus, sumit insuper Hyppocrates spiritū pro nutrimento fętus in utero. Quæ omnes sententiæ licet habeant ueritatem secundum propria principia, tamen non respondent nostræ intentioni, quę posita est in inuestigatione, quę sit natura spiritus, prout est absolutæ instrumentū sine quo animal non generaretur, nō uiueret, nec operaretur. Atque super hac dubitatione à notioribus habenda est oratio, ut facilius uniuersa eius natura, substantiaque dinoscatur. Dixit itaque Auicenna. In humoribus nostri corporis, per quos membra uniuersa efficiūtur, aliqua pars corpulentior, siue terrestrior est, aliqua uero subtilior, & leuior. Ex subtiliori parte productus est spiritus, qui est substantia

ſtantia genita, ex commixtione elementorũ. Differt autem ab elementis in hoc, quod elementa ſunt longe à uita, & commixtio frangit naturam ipſorum. Spiritus uero ſubſtantia quędam lumine participans eſt, per quam gaudet anima, ueluti lætatur uiſus in intuitu lucis, & triſtatur in tenebris. Sed hæc opinio omnimodam non habet ueritatem. Animalia ſiquidem omnia licet hoc ſpiritu utantur. Attamen tandiu uiuunt, quamdiu in corporibus eorum ſeruatur quædam proportio qualitatum, quæ non reperitur ſine contrarietate, & actione. Cum ergo dicit Auicenna ſpiritum generari ex ſubtilitate humorum, & eius ſententia intelligitur de ſanguine, cum quo concurrunt cæteri humores, dicendum eſt, non poſſe generari ſpiritus ex quauis ſubtilitate illius, quia non ex colera. Ipſa enim interficit, quando maximam attingeret ſubtilitatem. Neque ex untuoſitate quadã, quę in humoribus eſt. Nam ſpiritus, qui eſt de natura ſua ualde ſubtilis, facile ab ea impedireretur, & à motu deficeret. Neque ab acredine humorũ. Hæc enim (ut medicis placet) potius deſtruunt uitam quam ſubiectum corpus uiuificent. Bene uerum eſt, quod ſpiritus gaudet intuitu lucis, quæ mediocris ſit, ſed in immoderata luce triſtatur. Caligant etenim oculi in Solis ſplendore, quia in exceſſu eſt. Lętantur uero in ſpeculo

uiridi,

uiridi, quia in eo uisiuus spiritus ob nigredinem congregatur, & leta quiete habet terminum suum. Percuntatus est me Hieronymus Fabritius de Aquipendio super anathomia oculi, quam agebat. An homines tristētur in tenebris eo quod cōtrarium patiuntur ad lucem? Responsum est, tristantur quidem, eo quia potentia visiua in tenebris nō potest ad actum peruenire, sicut irascibilis tristatur, quando exequi non ualet uictoriam. Et ratio est, quia priuatio semper est causa appetitus, in quo tristitiæ plus est, quam delectationis; quousque ad actum suum perueniendo non quiescat. Et hæc dicta sufficiant de opinione Auicennæ. Galenus uero quęrens generationem spiritus, dixit eundē gigni ex aere, ualde temperato, qui primo dirigitur ad pulmonem, secundo ad cor, tertio ad rethe mirabile, ubi est quidam aditus, per quem uitalis spiritus transit in cerebrum. Deinde declarat se Galenus dicens. Aer qui in inspiratione trahitur à pulmone pręparatur, disponiturq́. Ex quibus uerbis voluit forsitan inferre, pulmo præparat aerem. Ergo ex eodem aere generat spiritum? Dictum quidem est supra, aerem necessarium esse non ad uitam primū, sed ad refrigerandum cor, & mundandum à uaporibus, uidelicet dum inspiratur, & respiratur. Quare imposibile est spiritū ex puro aere generari. Et quod dicitur de vno elemen

to,

to, intelligitur de iis. Non generatur inquã ſpiritus à pulmone ex aere, quia antequam pulmo eſſet genitus, ſpiritus intus erat, & agebatur in embrione. Dictum autem Galeni põt hoc modo concedi. Generatio ſpiritus minime poteſt cõpleri ſine aere attrhacto cũ anhelitu, qui purgatur primo in pulmone, deinde in corde miſcetur cum ſpiritu à quo claritatem ſuſcipit, & motum. Sed per hanc opinionem adhuc dubitatur de origine ſpiritus. Dubitatur quidẽ, ſed audi obſecro. Quandocunque calores immixtorum ſeminũ viri, & mulieris in vtero non habent exitum, tunc neceſſe eſt, vt inflectãtur, pulſent, & digerant, atque euaporationem illorum ſeminum in ſubſtantiam ſpiritus conuertant. Et hæc eſt generatio ſpiritus innati, qui quã do in principio formatiuæ facultati tanquam inſtrumentum deſeruit, & ad productionem cæterorum ſpirituum diſponitur, ſubſtãtia ſubtilis eſt, calidus, mobilis, ſeruaturque in corde, tanquam in loco meliori, vt non corrumpatur. Iſte inquam ſpiritus continue exiſtens in corde, ſemper præſto eſt animæ in actionibus ſuis. Et quod hoc ſit verum experimentis manifeſtatur. Acuitate ſiquidẽ ſua per motum aperit meatus membrorũ & vias arteriarum reſerat. Quç omnia quando coincidunt, tunc mors viuentis corporis, & interitus ſequũtur. Dum vero cuncta ſeruantur,

perpetuatur

perpetuatur motus, & vita. Dubitatur adhuc an spiritus in generatione præueniat aduentum animę? Cui dubitationi respondetur q̃d non. Quia anima, quæ dat formam præcedit, seu præponitur uirtuti, facultatique derelictę à parentibus in seminibus suis. Atq. ideo pręcedit, quia diuina est, & causa perpetuitatis in generatione, agitq́. non solum naturaliter, sed similat cęli artificē in actionibus suis. Pręcedit etiam, quia actus & perfectio omnium, quæ in corpore sunt formā esse dicuntur, à qua fit omnium denominatio, omniumq́. sequitur uirtus, & facultas. Dubitatur insuper, si in corpore est anima una, an sit spiritus unus? Et ille in tota uita animalium per vniuersa membra perspiret? Huic dubitationi respondens Aristoteles inquit. De spiritu est, sicut de alijs partibus corporis, quæ sunt eædem dum uiuit animal, sed hęc respō sio habet maximam perplexitatē. Quęritur enim an spiritus permaneat in corpore secundum totum, & semper, an non? si permanet secundum partem in mēbris, & non semper, ergo membra aut partim uiuūt, aut datur tēpus in quo non. Si uero permanet secundum totum, ergo indiget nutrimento, quia membra, & organa in quibus est spiritus, dum uiuunt, nutriuntur, sed spiritus non nutritur, quia caret instrumento nutritionis. Insuper si secundum totum permaneret spiritus in

corpore

corpore non senesceret homo, nec langueret, aut fieret macer, adeo quod tantummodo generaretur spiritus, & corrumperetur, atque ab aliis corporis afflictionibus foret ĩmunis. Quare Aristotelis sententia non ita ut iacent uerba, est simpliciter intelligenda. Ideo dicẽdum est, quod intentio philosophi decernitur super spiritu innato, qui secũdum latam responsionẽ patitur eas afflictiones, quas patiuntur membra aut secundum totum, aut secundum partem, ut in paralesi, & conuulsione eorundem à medicis connotatur. Et hoc non est impossibile apud naturam, eo quia pręterquam in forma substantiali, in cęteris omnibus aut formis, aut easdem formas consequentibus intenduntur, & remittuntur afflictiones corporis, secundum quas medicina intelligit opus suum dicente Hyppocrate. Intensio, & remissio faciunt medicas administrationes. Dubitatur adhuc quomodo spiritus innatus permanet secundum totum in corpore, si ortus paulatim occidit, & auctus senescit? Instauratur ne secundum idem, aut refocillatur ab altero? Quam dubitationem sentientes nõnulli medici admodum arduam partiti sunt. Alij enim dixere spiritum secundum idem regenerari, eo quia membrum exempli gratia in quo est, si unquã lãguet, postquã ad sanitatem deductũ est, easdem exercet actiones, & hoc forsitan

tan

tan contingit, quia idem regeneratus spiritus agit secundum eandem facultatem. Alij vero alterius fuere sententiæ, & dixerunt spiritũ innatũ in afflictionibus non regenerari, sed refocillari ab altero spititu, q influens nominatur. Atq. hi forsitan moti sunt ab hac rõne. Qđ si nõ reficeretur, refocillareturq. spiritus innatus in afflictionibus à spiritu influente, vel in totum deficeret, vel forsitan daretur tẽpus, in quo membrum non viueret, veluti contingit iu conuulsis, & in muliere asterícha, & in quãplurimis aliis pathematis. Quare si datur spiritus influẽs, aperitur locus sententiæ Auicennæ, qui dixit spiritum ex quatuor elementis constare. Cuius opinionis veritas sic elucescit. Ni spiritus influens contineret in se aliqualẽ humiditatẽ, haud posset pars eius continuari. Sine frigiditate inflammaretur, sine aliquo terreo subtili non subsisteret, & sine aliqua particula ignis nõ mearet per tunicas. Nec sine aliquali aere posset iuuare inspirationẽ & respirationẽ. Quare si spũs influẽs refocillat, & recreat spiritũ innatũ, refocillare, & recreare debet p similia, & non per cõtraria. Similia.n.in similibus permanent. Contraria vero contrariorum sunt castigatio, & medela. Modus autem instaurationis hic est. Producto corde cum spiritu innato, illico formatiua virtus cum eo agit iterum in corpulentiam seminum, ex quorũ

euapo-

euaporatione producitur alius ſpiritus, qui vocatur influens. Atque hic ille eſt, qui priori innato adauget facultatem. Actio vero influentis ſpiritus hęc eſt. Prodeſt ad extenſionem corporis, & ad mēbrorum complementum. Cur autem non cræetur ſpiritus innatus ſimul cum influente habet cauſam, quia antequam ſpiritus influens crearetur, non erat tanta neceſsitas, nec fætus indigebat nutriri, quemadmodum poſtea in auctione ei contingit. Sufficit enim naturæ in primordio vitæ per pulſatiuum motum ſubtiliare pabulum ſuum, quod eſt in embrione, & illud eſt humidum ſeminis. Quo tempore adhuc nō erat genitus ſpiritus influens. Propterea ſucceſſu temporis, quum fætus nutritur ſanguine, vel alio humore, tunc coartatur ſpiritus, reſtringiturque ad cōſeruationem ſui ipſius in humido. Quę coartactio, ſeu reſtrictio nihil aliud dicit præterquam combinationem, annexionemque ſpiritus influentis, cum ſpiritu innato. Simulque annexi protenduntur per vniuerſum corpus ad vitæ conſeruationem, vt eſt videre in ſtomaco, & in hepate ad nutrimentum, in corde ad vitam, in teſtibus ad generationē. Et in cerebro tam ad ſenſus exteriores, quam interiores. Quare licet hi duo ſpiritus conueniant in hoc, quod ambo ad vitę perpetuitatem ſpirent, differunt tamen inter ſe. Nam influens de nono regeneratur

neratur ſecundum quamlibet ſui partem. Innatus vero ab influente ſolo refocillatur. Inſuper differunt inter ſe, quia hic calefacit occulte, ille vero manifeſte. Adhuc ſpiritus influens craſsior eſt, aliter non poſſet iuuare digeſtionem. Verum non eſt adeo craſſus, vt prohibeatur tranſire per arterias; & tunicas ad refocillationē ſpiritus innati. Ideo condecens eſt, & ad penetrationē, & ad refocillationē innati ſpiritus. Sed inſurgunt aliqui dicētes in aīalibus imperfectis, q̄ carent ſanguine ſufficit vnus ſpiritus. Rn̄detur eſſe verum. Eo quia in ijs videntur eſſe æedem viæ ſpiritus, & viæ nutrimenti. In cęteris vero animalibus in quibus ſpiritus ſunt ſubtiliores non ita contingere videtur. Homines enim participes rationis non vno egent ſpiritu, ſed duobus, & ſic cętera animantia, in quibus inſtinctus naturalis, ſeu virtus exſtimatiua exiſtit, innato ſpiritu ad vitam ſpirant influente vero refocillantur ad conſeruationem. Sed totū hoc meliori modo datum eſt hominibus à natura, vt facilius detinere poſsint rerum imagines. Id quod imperfectis animalibus eueni re non poteſt ob ſpiritus craſsiitiem, qui inuiſcatur, immergiturque ipſorum nutrimento, quo aluntur. Dubitatur adhuc an ſpiritus ſit propter corporis indigentiam, vel ob animæ neceſsitatem? Aliqui dicunt ob indigentiam corpotis. Nam eo anima vtitur, vt per il-
lum

lum corpus viuat, ſed alij dicunt, ſpiritum eſſe genitum propter animam, quia immateriālis non poteſt operari in corpore ſine ſpiritu. Spiritus, & anima conueniunt in ſubtilitate, & luce. Verum hæ duæ opiniones non euacuant vniuerſam dubitationem. Ideo dicēdum eſt, quod licet ſpiritus ſit propter animam, quia conuenit cum anima ſubtilitate, & luce. Et ſit propter corpus, vt facilius operetur. Attamen diuerſo modo reſpectu corporis, & animę ſpiritū ſpirare cōtingit. Et diuerſitas tali experimento cōprobatur. Oculus non uidet colores ſine luce, neq. eſt cauſa videndi, ſed eſt quędā materia diſpoſita ad viſum. Ita dicendū eſt de ſpiritu, qui nō eſt propter corpus tantum, aut propter animam tantū, ſed eſt aptū inſtrumentum ad vtrunq. Atq. hoc pacto veritas eſt, qđ ſpiritus eſt propter vtriuſq. indigentiā. Propter animā quidem primo, cui ſubminiſtrat, ſed ab eo ſeparatur, tanquam perpetuū à corruptibili, non vt idea, quia proprie non operaretur, ſed tanquā aſsiſtens, ſeu informans ipſum. Deinde eſt propter corpus, nam per ipſum (ut dictū eſt) facile diſponitur ad operationes. Itaque quum ſpiritus deſeruiat vtrique ob indigentiam amborum, non eſt amplius ambigendū in quęſtione propter quid.

Cæterum adhuc inſtant Peripatetici contra pluralitatem ſpirituū & negant duos ſpi-

ritus in homine concedi videlicet ſpiritū innatum, & ſpiritum influentem, dicentes ſicut cordis motus eſt principium vnū, ita ſpiritum vnum ad totius corporis neceſsitatem conferre eſt conſentaneum. Contra quam rationem inſtant Platonici arguentes ſic. Generationum diuerſitas facit ſpirituū diuerſitatem. Ponitur animarum partitio, in vegetatiuam ſenſitiuam, & rationalē. Quare quot animæ ſunt, totidem ſpiritus eſſe debere expediens eſt, ſed Platonicorū rationes potius per opinionem, quam per iudicium concludunt intentum. Regula eſt Ariſtotelis, quod fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora, & æque bene. Igitur ſi anima vna, cur non ſpiritus vnus? Cur multiplicandi, vt maior remaneat in corpore confuſio? Etenim ſi datur innatus ſpiritus & influēs. Atque influens diſtinguitur in vitalē, naturalem, animalē, & generatiuū, prout ſunt quatuor mēbra principalia, per q̄ corpus diuiditur, videlicet. cor, hepar, cerebram, & teſtes, nonne conceditur tanta ſpirituum multitudo, vt maxima ab eis oriri poſsit cōfuſio? Ideo melius eſt, vt vnus ſit, quā tot ſpiritus. Et nihil impedit membrorum diuerſitas, qđ eſſe non poſsit ſpiritus unus qui tantorū mēbrorum actiones nō expleat. Inquit Ariſtoteles ſpiritus, q oritur in corde, ita à natura factus eſt, vt toti corpori comunicetur. Cuius participatio

tio melior, aut deterior in partibus demolitur, pro vt æedem partes ad melius, aut ad deterius opus destinate sunt. Atq. hoc pacto denominatio partiū distincta nullā facit per se spirituū distinctionē ita, vt possint multiplicari. Potest cōcedi qđ ratione termini in hac, & in illa parte sunt spūs diuersi, qa actiones diuersæ, sed ratione principij nequaquā. Ab vno enim corde spiritus vnus. Igitur ab vno cerebro spiritus vnus? Nequaquā substātia siquidē, & natura spiritus vna est, quę primo est etiam in corde, disponiturq́. ad reliquas partes corporis tali ordine videlicet. Natura primo cordi creat spiritū, vt ibidem acquirat tēperiē ad exequēdū opus sensuū ad vitā, vocaturq́. vitalis spiritus. In hepatę postea acqrit virtutē ad nutrimentū. In testibus, & vtero ad generationem. In oculis ad videndū. In auribus ad audiendū per distinctos neruos, meatusq́. Et sic tali ordine natura replet totū corpus vno, & eodē spiritu. Atq. hoc pacto sufficit vnus spiritus, ne in multiplicitate contingat error. Interrogabit quis, num denominatio spiritus dicit aliqd, & operatur? Dicit quidē distinctionē secūdū nomen, sed secundū operationē hoc infert videlicet. Spiritus naturalis substantia crassus, & mobilis est, eiusq́. caliditas extensiue calidior est seu maior quā sit uitalis spiritus, aliter non esset aptus, & idoneus ad decoquendum cibū in

ſtomaco, & ad digerendum chylum in hepa
te, in quo etiam aliquantulum denigratur.
Vitalis vero ſpiritus ſubſtantia eſt amplioris
virtutis, temperatior, & albior, eo quia non
turbatur à vaporibus. Et niſi eſſet ſubtilior
non poſſet deferre vires animæ ad extrema
corporis. Animalis autem ſpiritus, qui plu-
res ſunt numero, & pluribus modis animæ
viribus deſeruiūt, natura ſunt tenuiores ęq;
atque ſunt habiles ad motum, & facile parti
cipant ſenſibiles formas. Verum iſti anima-
les ſpiritus ſunt aliquam talum frigidi adhoc
ne lędant cerebrum, aut ab eo lędantur, aut
ne caliditas eorum faciat operationes celerio
res. De generatiuis ſpiritibus ſatis quidem
ſupradictum eſt, ideo non immorabor. Ex
quibus omnibus enarratis concludi poteſt.
Anima vna, ergo ſpiritus vnus. Cuius vnitas
tali pacto dinoſcitur. Quemadmodum ani-
mæ potentiæ in ſola anima coeūt. Ita omnes
ſpirituū motiones in vnius ſpiritus motu cō
tinentur. Exempli gratia. Vegetatiua conti
netur in ſenſitiua, & vtraq. in rōnali, ſic di-
cendum eſt de cęteris ſpiritibus, videlicet vt
coeant cū eo ſpū, q eſt in corde. Etenim nul-
lo pacto fungerētur cęteri ſpūs officio ſuo, ni
haberēt motū ab eo à quo ſumūt principiū.
Defatigauit tandem hæc quęſtio multos,
qui quærentes quomodo eſſe poſsit vt vnus
ſit ſpiritus qui tot habeat motiones in toto
corpo-

corpore, & refocilletur, & illa recreatio, seu refocillatio non fiat idem sicut in corpore ex leui alimẽto fit humor, & ex leui humore fit substantia corporis. Defatigauit etiam multos, qui facientes duos spiritus videlicet innatum, & influentẽ, quomodo commisceri possint inter se, vt innatus non superfit, vel influẽs nihil operetur. Quare ne tedio amplius legentes detineam ob multarum dubitationem perplexitates, in medium adducam non solutionem, sed narrationem quandam, per quam facile poterit diiudicari non quod spiritus vnus sit, non quod sint duo, sed quot modis sumi poßit spiritus ad vitam, ad sanitatem, & ad oẽs humani corporis actiones. Dicitur itaque quod spiritus habet tres motus. Vnus motus est ex propria natura. Secũdus ex dispositione animæ. Tertius ex corporis, seu cordis aptitudine. Per primum, spiritus fertur sursum, & tanto velocius, quanto est subtilior, & leuior. In quo motu prohibentur, cęteri oẽs. Nã si oẽs spiritus hoc haberent, tunc innatus spũs uiolenter detineretur in mẽbro in quo est naturaliter. Et licet motus rerũ naturalium non fiat absq. contactu. Attamen non oportet ut quodlibet minimũ vnius spiritus contangat quodlibet minimũ mẽbri, sed sufficit qđ tangat aliquã partẽ. Secundus uero motus, qui est in spiritu, est ad finẽ, vt aĩalia seruẽtur, uigorẽ habeãt, & de-

lectentur, aliter nõ durarent per uniuersam uitam, imo ea esset cũ maximo labore. Tertius animæ motus, qui cõstat ex duobus motibus terminatis ad duas quietes, quorũ vnus uocatur pulsus, & alter tractus, qui licet ambo sint ad diuersos terminos, reuertuntur tamen ab eodem in idem. Et tunc libere agũt, qñ cordi nullũ adest impedimentũ. Hic inq̃ motus est, quo incolumis saluatur animal, & eo deperdito nullus est in corpore motus amplius. Quare p hos tres motus regitur quodcunq. corpus uiuẽs, & conseruatur. Nam per primũ motum deferuntur uires animę in uniuersum corpus, per secundũ reuocantur. Et per tertiũ dinoscuntur, seu distinguũtur. Insuper primus motus est intentus per se à natura, secundus ex suppositione intelligitur ad tuendã uitã, & tertius inuestigatur à medicis ad remouendam egritudinẽ. Et tandẽ causæ spiritus tales sunt uidelicet causa efficiens est anima, finis salus uitæ, materialis sanguis purior, & formalis circũscribitur. Quęq. licet non sit in genere suo reduci tñ põt, ueluti iã supra ostensum est.

Vtilitas spiritus, & motus eius affectus per exempla declaratur. CAP. VIII.

ARDVAE dubitationes iam supra promote sunt super spiritus definitione multiplicitate,

plicitate, ſimplicitate, & loco, & tandem fuit concluſa narratio, per quā poſſunt facile oēs tantorū uirorū diuerſæ opiniones in unū conuenire, ubi per diſtinctionē habitā de ſpū, & de motu, & de loco eius tradatur reſpōſio ad rationum dubitationes, ſuper quibus hinc inde eſt ad partes altercatio. Atq. tanto libentius feci, quanto melius eſt uti laconiſmo, ſeu aphoriſtica locutione, in hoc ſermone, ad uſum intelligendi, q̄ attica oratione ad uerborum congruentiam ſeu congruitatem pro delectatione contemplandā. Igitur ne mora ulla ulterior ſit pro inueſtigatione ipſius ſpiritus (eſſet enim ab ouo intentionē aggredi) à motu eius experimēta adducam quibus intellectis facile erit oēm quę à ſpū ꝓueniat, & à motu eiuſdē, vtilitatē ꝑquirere, & īuenire.

Ira effectus primus à promotione ſpiritus habet hanc cauſam, videlicet eo tēpore, quo dilatatur cor, tūc ſpiritus uelociter, magnoq́. impetu mouetur ad centrum, & cum eo ſanguis ſupercaleſcit, & inflammatur.

Gaudium peruenit qn̄ ſpiritus paulatim mouetur, & ſuauiter ſpirat ad circunferentiā corporis, uel quia remouetur ab eo quod nocuum eſt, uel quando id, quod conueniēs eſt percipitur. Timor prouenit quando ſpiritus repente mouetur ad partes interiores dorſi, ueluti contingit iis, qui ex improuiſo inimicum conſpiciunt, aut in periculo inopinate

ſe ſe uident. Retraitur quidem ſpiritus cum impetu. Quamobrem ſi cor per tēporis ſpatium euentare non poteſt, conculcatur, & ob id multa ſpiritus inflāmatio accenditur à qua ſępius mors infligitur. Quęq́. etiam cōtingere poteſt, quando multa, ſubitaq́. letitia oriatur, eo quia ad extimas partes corporis diffuſus ſpiritus, ubi in reuerſione clauſum eſt cor, perit animal, non potens ingredi ſedem ſuā. Sed ex lętitia multi, ex timore uero pauci obire uidentur, ueluti in hiſtoriis de mutationibus Italicis, quas edere deſidero, apprime, quamplurimis contigiſſe manifeſtatur.

Anguſtia inſurgit ex remiſſo motu ſpiritus, quando longum tempus duret, quæq́ue alio nomine uocatur triſtitia remiſſa.

Rubor, & pallor ex motu diuerſo ſpiritus in homiue innaſcuntur. Exempli gratia ob infamiam, quam quis timet, tunc motus ſpiritus interius fit, & exterius eodem fere tēpore, quare, & accenditur ſanguis. Quo ſi ad exteriores ſanguis uertitur partes, facies rubet, ſi uero ad interiores, recedit, illico fit pallida, quia uis animę cupiens habere ueritatē de culpa inſtaurat uires. Et ſanguis ad cor reuerſus relictis extremis partibus pallidam faciem reddit.

Fiducia, ſiue confidentia oritur ex multitudine ſpiritus, ſed requirit condecentē hominis complexionem. Exēpli gratia, quando

ſanguis

ſanguis ex quo generatur ſpiritus lucidus eſt & clarus, ipſe quidem facit lętitiam, & delectationem, quæ eſt perfecta hominis cõplexio (non. n. proprie habet bonum habitũ, qui non delectatur) inſuper ſpiritus ſubtilis, & clarus diſponit hominem ad ſcientiã de Deo, & de ſubſtantiis ſeparatis, eo quia uidetur habere cũ eis ſimilitudinẽ. Spiritus craſſus, & clarus facit ad cognitionẽ rerũ naturaliũ, qm̃ craſsities eſt ſimilis cõpoſitioni, mixtioniq. Luciditas ſpiritus facit ad ueritatẽ. Opacitas, uero ad falſitatem aptam inferre merorẽ. Parua Luciditas impedit refrenare impetus animæ. Multitudo ſpiritus tẽperata, & luminoſa poteſt eſſe tanta, ut homines ſine cauſa ridere uideantur, atque interdum poſſunt eſſe in tali diſpoſitione, ut facile ſint procliues ad iram, aliquando ad timorem, & aliquando ad uilitatem, & inertiam.

Indignatio, q̃ ob iniuriã naſcitur ſic habet ortũ. In cerebro hominis, in quo reſidet mẽs animę reponitur iudiciũ offenſę. Quod ſi ſpiritus repente tranſuolat illuc, tunc homo per concupiſcibilem concitatur ad iram, & per iraſcibilem ad uindictam. Timiditas, & uilitas ſic innaſcuntur. Quando ſpiritus calefactus in corde, mora interpoſita ſurſum aſcẽdit, quia forte fortuna multa eſt, à corde ad cerebrum diſtantia, ut legitur de capreolis de anſeribus, & hominibus habẽtibus longũ

collum.

collum, tunc interea cessat furor. Quare spiritus per intercapedinem interceptus facit, vt homo cogitans, quod finis ire est principium pęnitentię, in ea se se temperans dat locũ timiditati, & aliquando vilitati.

Excãdescẽtia vero ex opposito mõ habet ortum. Etenim habentes collũ breue, & prorumpentes in excandescentiam, facile conci tantur ad iram, quæque adeo augeri potest, vt quando quis habens inimicum lędere nõ potest, sępius contingit, ut se ipsum lędat. Atq. hoc potissime euenit hominibus habẽtibus naturã admodũ calidã, vel iis, qui assidue bibunt merũ, & grãde, vel iis etiã, qui cõsueti inferre iniurias, vix euitare possunt, quin in huiusmodi cadãt discrimen.

Vsus pulsus, & notitia per sistolem, & diastolem. CAP. IX.

PVLSVS à corde incipiens per arterias ad extimas partes corporis diffunditur, in quibus partibus, sed nõ in omnibus, solẽt medici motum ipsius perquirere, & inuenire. Non in omnibus inquã. Nã in qbusdã nõ põt bene discerni ob nimiã à corde distantiã. In qbusdã ob cordis regentis occultationẽ. Et in quibusdã pp osiũ cõstructionẽ. Quare elegerũt sapiẽtes bracchia, ut facilius, utilius, & honestius tãgeretur, facilius inquã, quia carnose partes arteriam non celant. Vtilius quia brachiorum arteria cordi proxima

est,

eſt, honeſtius, quia neq. egro,neque medico uerecundiam parit. Motus autem pulſus per ſiſtolem, & diaſtolem.i.per leuationẽ, & depreſsionem cognoſcitur, ſed dubitatur quãdo cor dilatatur, an arterię conſtringantur,& econuerſo? Inſuper an ſimul, & eodem tẽpore compleatur ab utriſq. proprius motus, ut legitur antiquos credidiſſe? Et ratio dubitationis fortaſſe facilis eſt. Eo qa exiſtiẽte corpore ſano uerisimile eſt, quod quando cor cõſtringitur illico abſq. ulla temporis mora arterię dilatantur, ſed maioris dubitationis locũ facit hęc opinio. ſi.n.in illo actu, quo cor expellit aliquid à ſe arterię tunc reſtringerẽtur, nihil quidem reciperent ab eo clauderetur uia pulmonis, & aliorum membrorũ aditus interciperetur. Igitur nulla eſſe debet interceptio, qua poſsit impediri hoc opus,tum quia expulſio, quæ fit à corde, & per muſculos, qui eidem colliguntur libera eſſe debet, tum quia diſpoſitæ partes eius,nullo eſſe debent motui impedimento. Exiſtimabat quidam anathomicus amicus meus. quod in arteria uenali cordis eſſent quędam hoſtiola,quę reſtringerentur tempore diaſtolis, quæque ſi oĩno clauderẽtur, prohiberent egreſſum aeris à corde. Cui fuit reſponſum. Poteſt quidẽ concedi, quod dum cor reſtringitur, hoſtiola prædicta, & arteriæ ſint in motu ad reſtringendũ, ſed nullo pacto ſunt ineſſe clau-

so. Et forsitan antiqui loquētes habebāt hūc sensum, quod dilatatio, & constrictio cordis fiunt simul cum motu arteriarū ratione propinquitatis in earum motione. Nec est dicendum quod essent ignari in prolatione sententiæ, sapientia quidem plurima præditi sunt, & semper ad benedicendū viam aperuerūt. Quæritur adhuc quanto tempore cōpleatur motus dilatationis, & cōstrictionis pulsus. Quę difficultas magna est, eo qa multi multa loquuntur. Quidam.n. putant, quod præcisum tempus assignari non potest. Aliqui dicunt tempus esse longum. Nam quando arterię dilatantur, quatuor ab eisdem recipiuntur, videlicet, unum ab extrinseco, & est aer frigidus, & tria recipiuntur à corde videlicet aer prædictus factus calidus, fumus capinosus, & spiritus, quibus omnibus ipse artęriæ replentur, sed quando arteriæ cōstringuntur, tunc impellunt in cor aerem frigidum, nec non calefactum expellunt, & spiritum ad singula membra distribuunt. Verum nonnulli putarunt quod maior dilatatio requireretur, in arteriis ad attraendum copiam aeris, quam ad expellendū. Quare etiam arbitrabātur diastolem fieri in maiori tempore, quam sistolem. Id quod forsitan posset concedi in corpore sano. Attamen existente maxima necessitate euentandi, quando videlicet corpus eget multa refrigeratione, tūc nescio quo nā pacto

pacto huiusmodi opinio saluari possit. Sed nonnulli alij fuere alterius opinionis dicentes, quod si idē ipse aër q attrahitur, expellendus est, & attractus permanet in sua natura, quis unquam, ibit inficias, vt sistoles non sit equalis diastoli? Quæ quidē equalitas si non est respectu temporis, saltim esse dicitur respectu spacij. Quapropter cum ardua sit dubitatio, adhuc pro certitudine quæritur. An motus prædicti sint naturales? Et dicendum est quod non sunt naturales, quando, exempli gratia, cor est calidius temperamento. Et hoc contingit, quum oportunam maiorē aeris quātitatē attrahere habet necesse. Esto igitur quod hæc eadem aeris quantitas expelli debeat per sistolem, certe associabitur cū fumositatibus genitis in corde, & super calefactis. Non ne tunc motus sistolis erit maior motu diastolis, Patet hoc experimentum in febre. Nā quando vapores humorum putredini addicti petunt cor, tunc medici sæpe tāgentes pulsum infirmorum prædicunt, quod diastoles augetur supra sistolem. Regula uniuersalis est in re medica, quod in quacunque dispositione pręter naturali semper pulsationis differentiæ inęquales fiunt. Ex quibus iam patere potest qđ necessarius sit motus sistolis, & diastolis propter perpetuū cordis motū. Quodq́. nisi refrigeriū sumeret p

attractum

attractũ aerem, posset spiritus in eo plurima caliditate affectus inflãmari. Et nisi cũ attractus est, & factus inutilis nõ expelleretur, nõ posset iterum alius aer pro refocillatione succedere, eo quia ab inexistente prohiberetur.

Sed quid de sistole, & de diastole non nulli in re medica senserint, hęc est illorum opinio. Motus diastolis, idest dilatatiuus, aut super calefactiuus, aut conuersiuus vaporis in spiritum, aut quo humor eleuatur in tumorẽ est illæ, quo aer intra corpus attrahitur. Sistolis autẽ motus aut infrigidationis sanguinis, & spiritus, aut præparationis eiusdẽ pro noua generatione spiritus, depræssiuus cordis est, & expulsiuus fumorũ, & aeris. Quapropter notandũ est, quod quãdo humidũ mutabile decoquitur, tunc necesse est, qđ cor uentosando tumescat, & eleuetur. Cũ vero eiusdem humidi desierit ebullitio, tunc calor remittitur, constringitur, & reducitur ad maiorẽ quietẽ. Quando autẽ cõtingit aliquando, vt pulsus cordis habeat diuersitatem (Et hoc quippe euenit aut à fortitudine, aut à debilitate virtutis, aut à dispositione instrumẽti, aut à necessitate euẽtandi) tunc multa medici peritia necessatia est, ne pro hac causa diuersitatis illa cognoscatur, quæ nullo pacto facit ad curationem. Cæterũ dubiũ est an prę fate differẽtiæ enumeratæ secundũ sistolem, & diastolem sint præcise vnus motus, & ab

uno

vno motu cordis eueniant, an non? Et est dicendũ, qđ ad vnitatẽ alicuius motus hæc requiruntur. Vnitas motoris, mobilis, termini, spatij, & temporis. Quæ omnia sunt imposſibilia saluari in prædictis differentiis. Verum præfata diuersitas non arguit propriã distinctionis rationẽ (Veræ siquidem differentiæ oppositæ sunt) sed dicit modum quendã distinguendi. Et licet dicatur qđ per operationes reperiantur plures diuersitates, habent tamen hę omnes vnum communẽ motũ, qui an simplex sit, an compositus, an naturalis, vel violentus, non est amplius inuestigãdus. Sufficit qđ supra super huiusmodi difficultatibus est ostensum, & enarratum.

Quomodo per motum pulsus dispositiones corporis dinoscantur. CAP. X.

SVPEREST tandem ad complementũ propositę intẽtionis, super qua promulgata est enarrationis inuestigatio, aperire quo nã modo motus pulsus ostendat corporis viuentis dispositionem, & hoc audentius faciam, quod eodem tempore cum notitia vtilitatem inseram, & necesſitatem, quibus coacti sunt medici in pulsuũ cognitione plurimum elaborare, quorũ inquã labor nõ solum facit ad medicinæ peritiã sed ad egrotantium salubritatem consequendam. Et primum conscribam, vnde motus pulsus cognitio. Deinde. Quomodo dispositiones corporis dino-

ris dinoſcantur. Et tandem ſignificationum notitia tradetur.

Pulſus cognitio.

Siſtoles , Diaſtoles

Quantitas.

Longitudo Latitudo Profunditas

Tempus.

Velox Tardus

Virtus

Fortis Debilis

Arteria

Durus Mollis

Locus

Plenus Vacuus

Qualitas

Calidus Frigidus

Labor, & quies

Spiſſus Rarus

Pulſus diuerſa cognitio

Sexus

Vir Mulier

Complexio

Calida, Frigida, Humida, Sicca.

Diſpoſitio corporis.

Macilentia Craſsities

Aetas

Pueri Iuuenes Senes

Temporis mutatio.

Ver, Aeſtas, Autumnus, Hyems.

Impre-

Impregnatio.

Constantes à primo mense ad sextũ, deinde diuersificantur. Somnus & uigilia.

Multũ dormire, & parũ, parum uigilate, & multum. Labor, & quies.

Parum & multum Multum & parum.

Balneorum usus.

Prę nimia balneatione deficientia, prę commoda temperantia pulsus.

Cibi, & potus repletio & defectio.

Superflua debilitat, moderata fortificat, carentia occidit. Animi passiones.

Ira, timor, dolor, gaudium, & similes suas habent pulsus diuersitates.

Igitur quæ primo se se offerunt medicis antequã egroti tangant pulsum sunt macies, & crassities. Etenim leuibus digitis macro corpori tangendus est pulsus. Crasso vero iis prementibus est examinandus primo per sistolem, & diastolem, secundo per longitudinem, latitudinem, & profunditatẽ. Et deniq. p eas differẽtias, de qbus hęc pauca breui methodo declarabũtur. Prima itaq. differentia pulsus est magnitudo, secũda uelocitas, tertia spissitudo. magnitudo est à fortitudine uirtutis, uelocitas à dispõne instrumẽti, dũmõ arterię nõ resistãt p siccitate, & duritię, spissitudo deniq. est à necessitate mẽtãdi: qbus differẽtijs alię tres opponũtur. magnitudini siquidẽ opponitur paruitas, quæ vt plurimũ puenit

M à debi-

à debilitate virtutis. Velocitati aduersatur tarditas, q̃ prouenit ab inobediẽtia instrumẽti. Et spissitudini oppugnat raritas q̃ à diminuta necessitate euẽtandi ꝓuenire solet. Insuper vocatur pulsus magnus, quãdo arteria, q̃ dilatatur, & cõstringitur in eleuatione ꝑtransit amplũ spatiũ. Paruus vero, quãdo paucũ. Velocitas pulsus sumitur penes tẽpus longũ vel breue mẽsurans prędictos motus, seu spatia, ꝑ quæ fit transitus. Spissus deniq. pulsus est, seu spissior, cuius tẽpus mẽsurans quietẽ inter sistolẽ, & diastolẽ est breue. Sic & rarus pulsus longũ tẽpus ostendit. Dicunt autẽ medici, atq. hoc manifestat experimentum, q̃d natura tẽpore necessitatis semper incipit ab illa differentia pulsus, quæ cõueniens est, & magis sibi ipsi satisfacit. Exẽpli gratia. Si incipit à magnitudine, hæc quidem ostendit potentiam naturæ ad expellendum quod nocuum est. Est etiam magnitudo prior spissitudine. Quare magnitudo sine spissitudine cõtinuari põt, sed qñ minuitur necessitas, primum q̃d acquiritur in pulsu est raritas, nõ tñ absolute, sed q̃ põt permanere cum sanitate. Secundũ q̃d acquiritur in pulsu, est tarditas. Et vltimũ, paruitas, igitur constitutus pulsus in necessitate põt esse magnus, velox, spissus. Ex opposito vero remissa natura incipit ab vltima differẽtia opposita spissitudini. Et q̃d primũ acquiritur est raritas. Et qñ plus minuitur

tur necessitas, succedit tarditas, & tandē par uitas illa videlicet q̄ stat cū velocitate in corpore sano. Ex quibus omnibus pulsuū differentijs iā apparere pōt, qđ oēs homines sani habentes cor respectiue frigidū, pulsum habent tardū, & rarū, sed non tenet illatio. Est pulsus paruus, ergo tardus, & rarus. Bene q̄dem verū est, qđ ad fortitudinē pulsus non est necesse frequentiā succedere, & spissitudinem. Nam si cōplexio, exempli gratia, laberetur ad calidū, tanto magis traheretur de aere, quanto magis inspirari posset respectu cordis tēperari. Dicitur ēt qđ fortitudo pulsus est seiuncta à magnitudine. Fortitudo siquidem causatur à multitudine spirituū, & à vigore caloris, quibus natura vtitur pro instrumentis. Magnitudo vero est pœnes quā quantitas magna suorū diametrorū, & à maiore spumificatione humidi sanguinei existit. Associatur tamen cum sufficienti quantitate spiritus, cū quo pulsus non est paruus, nec debilis. Cæterum sunt nonnulli, q putāt inter se has differentias nō differre, eo q̄a per obedientiā instrumenti nō p̄cipitur semper fortitudo, sicut magnitudo. In magnitudine siquidē pulsus ostēdit quandā vndositatē ob mundificationē humidi. Quā ob rē si dicitur qđ calidū, & humidū sunt causæ magnitudinis, & non fortudinis, creduntur ēt sic differre vt dictū est. Verum negari nō pōt, qđ ma-
 gnitudo

gnitudo nō ſit immediatus effectus fortitudinis, ſine qua diametri non poſſunt ampliari. Et ſic qn̄ contingit diametri amplitudo, tunc magnitudinis effectus comes efficitur fortitudinis, poſtremo uelocitas eſt quędā aptitudo, ſeu nō repugnātia, p q̄ pulſus uelox noīatur.

Poſſunt aūt ea quæ dicta ſunt pro notitia pulſus ſufficere in re medica, ſed nōnulli aliū tradidere modum, per quē prædictas aſsignarunt differentias dicentes. Paruus pulſus. & magnus contraria ſunt, medius uero amborum particeps eſt. Plenus pulſus īter medius eſt, ſub tactum cadens, quaſi eſſe uideatur arteriæ tunica corpulentior, quæque tactu dinoſcitur. Nam quando pars eius interior tota humidior eſt, & corpulentior appræhēſa, tunc pulſus plenus eſſe iudicatur. Durus pulſus dicitur, cū inſtar tenſi nerui duriq́ uidetur arteria, ſentiturq́. & tunc potens ſubeſt ſpiritus ueluti in parte pcuſſa, q̄ ictū retinet. Mollis pulſus uocatur, qui duro cōtrarius eſt debiliter faciens arteriā non reſiſtentē, cuius ſpiritus mitis eſt, non diſſolutus. Humidus pulſus eſt quidē mollis, quippe in eo ſubſtantia manſuetior, placidiorq́. humorē quendā ſubtiliorē reddit. Siccus pulſus ī quo humor abſuntus eſſe uidetur. Vehemēs pulſus, qui uiolentā facit percuſsionē. Medius, qui proportionem ſeruat ad utrūque. Denſus, ſiue creber qui longā nō habet aut eleuationem,

aut

aut compreſsionē. Tremulus, qui nō equalē habet percuſsionē. Obliquus, qui nō à recto ſitu arteriæ abſoluitur. Inęqualis, qui ſecundum aliquam partem altior erigitur, & concidit frequēter uena inflata, & eneruata. Intermittens, qui non ad duas ſolū, ſed ad tres pluresve percuſsiones deficit, diſtractionem vel unam, uel duas, uel plures ēt faciens. Deficiens pulſus in quo non ad duas ſolū, ſed ad tres, uel plures percuſsiones immobilis arteria permanet. Intercidens, cū poſt duas pcuſſiones ſecundum proprium ordinem fit motus, ex quo quidem media intercidit percuſſio. Dorchadizans, ideſt caprizans, quando arteria putatur ſalire, & ad alium motum ſtatim fertur antequā apparentiam compreſsionis habeat. Recurrens pulſus eſt, qui quantū egreditur magnitudine, aut uehementia, tantum rurſus egreditur in aliis differentiis. Formicās pulſus dicitur, qui paruus eſt, uacuus, & frequens, debiliſq. atque extremum periculum, interitumque demonſtrare ſolet. Per pinguis pulſus tenet uenam fortiter. Macer ſubtiliter, mediocris modice, neq. digiti medicorum ante demuntur, quam feriant centies. Ex quibus omnibus iam patere poteſt quanta ſit futura notitia melior in re medica eorum, qui hæc ſingula norunt. Sed qui cuncta ignorabunt nullam, aut paruam in medicationibus habebunt vtilitatem.

Signi-

Significationes ex pulsibus. CAP. XI.

PVLSVS in principio debilis, inde intẽsior, bonum.
A principio fortis, inde remisſior, malum.
Fortis cor, forte.
Debilis cor, debile.
Velox in ſano, ſanitatem.
Paruus in ſano, debilitatem pectoris, & præcordiorum. In infirmo, vitæ extremum.
Paruus, & velox in ſano, iracundiã, & bilem. In egro, calorem exundantem.
Tardus in ſano frigiditatem. In infirmo, ſiccitatem.
Rarus virtutis, defectionem.
Tardus quoque, caloris defectum.

Cæteras ẽt ſignificationes ſi quis adamuſſim ſcire deſiderat, Galeni libellũ de pulſibus, aut Conſtantinũ legat à qbus facile vnuſquiſq́ue fieri poteſt voti ſui compos.

Sed dubitatur an pulſus ſit motus naturalis, vel an ſumat virtutẽ, & proportionem à genere villorũ in corpore? Poſui hanc dubitationẽ in calce operis, ne, quum hucuſq́. naturaliter locutus ſim, vllus vnquã perlegẽs q̃ à me ſcripta ſunt, hęrere poſsit in motu pulſus, occaſio aũt dubitationis ſunt nõnulli, qui negant pulſum eſſe motũ oĩmodo à natura. Eo quia ſola natura non eſt ſimpliciter cauſa pulſus. Hinc eſt, qđ ſi motus pulſus vocatur naturalis, eſt quidẽ, ſed per ſimilitudinem,

quā habet, cū motu naturę. Alij dicūt, quod motus pulſus continue fiens nō mutat locū, atq. ob id motui augumenti, & decrementi cōparari pręſcribitur. Et ratio eſt, quia cor in tali motu tumeſcit, & detumeſcit ſicut auctū, & diminutum. Et ſic motus pulſus potius ſequitur motum villorum pertumeſcentiam, & detumeſcentiam, quam motum naturalē. Plures ſunt qui dicūt motū pulſus fieri à natnra eo modo, quo attractio aeris eſt ad finem replendi vacuū. Quorum opinio non habet veritatē. Nam ſi arteria poſſet de ſe dilatari, aut ab aere d ilataretur, nō egeret auxilio cordis. Dilatatur ſiquidē qn̄ cor cōſtringitur. Quare relictis aliorū ſentētijs, breuiter cōcludi pōt motū pulſus eſſe ab anima. Quiq́. ſi eſt in aliquo loco principaliter, maxime in corde manifeſtatur. Et notanter dictū eſt ab anima, & nō à natura, qa in hoc loco intelligitur natura ꝓ inſtrumento animę. Sed contra hanc poſitionē inſurgūt forſitan dicentes. Motus pulſus reperitur in ſemine ante omnē receptionē animę. Inſuper motus ſpumificationis in humido calefacto nō eget auxilio cordis, qa ſolus calor cogit ſpumificare ſanguinem, vt legitur in lucano. Mouet hic calidus ſpumātia pectora sāguis. Quibus rationibus ita reſpōderi videtur. Calor naturalis nō ſufficit ſolus ad motū, imo tā ipſe calor, q̄ cætera mēbra, q̄ mouētur, ſeu mutātur in

in corpore cuiuscunq. aīal.s sub ordinātur animæ, seu viribus eius. Exempli gratia Qñ vis regiti a nō pōt corrigere humores pe cã tes, tūc intēperies ipsorū generat ęgritudinē. Ratio est, quia derelicti humores à viribus regitiuę potentiæ ex ordine uniuersi corporis subijciuntur alicui mouenti extrinseco si datur. Quis autem sit ille mouens extrinseco alias declarabitur. Nunc respondetur ad rationes, & dicitur, quod licet spumificare in humido se teneat ex parte corporis. Quia tamē anima est immediata causa uitæ, & habet primam sedem in corde, potest cum una potentia dilatare, & cum alia constringere, qua potestate priuatus est calor, & ipsa natura. Agunt siquidem hæc terminato tpe. Anima uero non, insuper in semine, quando disponitur ad vitam, est anima in potentia & non in actu. Quod si non esset in potentia, nullibi unquā ueniret ad actum, vt viueret aīal, & moueretur. Quare secundum hanc sententiam, natura non esset instrumentum intelligentię (ut forsitan aliqui putauere) sed est in corporibus aīalium subiectum, seu instrumētum animę ad omnem uitę functionem. Atq. hęc de motu cordis dicta sufficiant.

FINIS.

PERVSIAE,
Ex Aedibus Io. Bernardini Rastellij. 1575.

